







3–

A Lang

With the author's compliments.

With [redacted]'s Compliments

DE GRAECORUM DIIS NON REFERENTIBUS SPECIEM HUMANAM.

Typis J. J. Groen et Fil.

De Graecorum diis non referentibus speciem humanam.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. E. VAN ITERSON J.A.FIL.

MED. DOCT., IN FACULTATE MED. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI

SUBMITTET

MARINUS WILLEM DE VISSER,

NATUS IN PAGO STAVENISSE,

die XI mensis Decembris, A. MDCCCC, hora IV.

LUGDUNI—BATAVORUM
APUD G. LOS.
MDCCCC.

PARENTIBUS.

INDEX.

LIBER I.

De superstitionum quae non sunt anthropomorphicae origine atque indole apud varias gentes.

LIBER II.

Scriptorum et monumentorum de superstitionibus quae non sunt anthropomorphicae apud Graecos testimonia.

LIBER III.

De Graecarum superstitionum, quae non sunt anthropomorphicae, ratione ac natura. Quomodo paulatim anthropomorphismo cesserint.

PRAEFATIO.

Nusquam magis quam apud Graecos deos humana specie praeditos fuisse notissimum est. Anthropomorphismum autem illum non fuisse primitivum, sed a parvis profectum initiis pedetemptim formas sublimiores accepisse, mythologorum, praesertim recentiorum, indagationes magis magisque probant.

Iam multis annis abhinc observatum est, exstitisse in Graecia quoque cultus quosdam saxorum stipitum plantarum animalium; de quarum rerum veneratione, quae a communi deorum cultu toto coelo differre videtur, fuse agere mihi propositum est. In hisce autem studiis non mythologorum illorum, qui hanc materiam non nisi obiter tetigere, opera notissima mihi evolvenda fuerunt, sed multo potius ii auctores mihi consulendi visi sunt, qui postremis hisce annis de diversis cultibus singulis in regionibus Graecis obviis scripserunt. A mythologis comparativis qui dicuntur paene nihil mutuari potui quippe qui a non comparando ita vocari iure dici possint [1]. Anthro-

[1]) Cf. O. Gruppe, Bursians Jahresbericht 1899 p. 140: „Die vor einem Menschenalter noch fast herrschende Ansicht, dass die griech. Mythen in ihrem alten Kern Naturvorgänge darstellen, deren Wesen aus der Vergleichung der übrigen indo-germanischen, insbesondere der indischen Mythen erkannt werden könne, ist gegenwärtig fast ganz aufgegeben."

pologi contra omnino non negligendi fuerunt, velut Tylor, Mannhardt, Frazer, Lang, alii, qui gentium incultarum hodiernarum superstitiones indicaverunt iis congruentes, quas apud Graecos quoque priscos viguisse monumenta nos docent. Non solum igitur e fontibus archaeologicis hausi — in quibus studiis, sicut in multis aliis, permulta debeo promotori meo aestimatissimo v. cl. A. E. J. Holwerda, et, quod ad nummos attinet, musei numismatici Hagensis rectori v. dct. H. J. De Dompierre de Chaufepié — sed etiam saepius museum ethnographicum Leidense visi, cuius thesauros admodum raros atque libros ad hanc rem pertinentes magna cum benignitate mihi indicavit vir praestantissimus, qui huic museo praeest, v. dct. J. D. E. Schmeltz. Non minus bene de me meriti sunt ii, qui mihi viam monstrarunt in quaestionibus historico-religiosis atque philosophicis: v. cl. C. P. Tiele, v. dct. W. Caland, v. dct. H. Was.

Natura religionis Graecorum prae-historicae ut plenius intelligatur pauca mihi praemittere liceat de ratione qua apud alios etiam populos antiquos et hodiernos eiusmodi superstitiones viguerunt atque adhuc vigent. Haec praefatus de monumentis religionis quae non est anthopomorphica apud Graecos agam; denique de eius origine atque indole disputabo, et quomodo paulatim anthropomorphismo cesserit explicabo.

LIBER I.

De superstitionum quae non sunt anthropomorphicae origine atque indole apud varias gentes.

CAPUT I.

De animismi ratione ac natura.

§ 1. Omnes cultus ex animismo effluxisse quivis intelliget, qui de eius sensu meditatus erit. Animismus enim ipse non religio putanda est, sed potius cuiusque religionis origo. Somno et morte homo rudis ad suspicionem perducitur, non tantum carne et ossibus, sed alia quoque quadam re a corpore bene distinguenda sese contineri; illum autem animum [1]) non aliter nisi figura aliqua praeditum atque quasi corpus sibi fingere potest [2]). Neque

[1]) Diu dubitavi utrum voce animo an anima utendum esset; quia autem anima *vita* potius est quam id quod homines inculti omnibus in corporibus habitare et ubique circumvolitare putant, vox animus mihi praeferenda videtur.

[2]) Tylor, Prim. Cult. I 558 dicit, somnum et mortem homini inculto vitam indicare, somnia autem et visiones aliud quiddam, quod „phantom" vocat, corporis humani imaginem; quae duo in unum conflata animum specie humana praeditum formant. A. Lang contra in libro qui inscribitur „The making of Religion" affirmat, animismum non solum e somno, morte, somniis, sed etiam ex iis rebus, quae naturae fines nobis egredi videantur, ortum esse. Ostendit id, quod „clairvoyance" vocatur, et

usque ad mortem animum in corpore velut in carcere inclusum esse putat, sed etiam in vita ex eo discedere, eodem reverti, libere circumvagari, in alia corpora irrepere posse eum existimat.

§ 2. Ut autem ipse, ita animalia quoque, plantae, omnes denique res animum habere ei videntur; qualis rerum percipiendarum ratio nihil habet singulare vel insoliti, nam penitus humanae menti insita est, quippe quae ubique sui ipsius imaginem agnoscere soleat. Quamvis cultus atque eruditus homo sit, numquam talibus rerum externarum perceptionibus sese prorsus liberare poterit. Nolimus igitur mirari hanc animi inclinationem populos incultos ad certam quandam deos sibi fingendi rationem perduxisse. Quibus bene perpensis clare apparet animismum, qui in omnibus cultibus tanti momenti sit, ipsum non esse religionem, sed potius philosophiam, ut ita dicam, popularem [1]). Quae philosophia cum sensim paulatim latius patere coeperit, animos tales non solum singulis rebus inesse, sed etiam sede carentes ubique circumvolare credunt [2]). Itaque sese undique animis circumdatos esse putantes, eosque menti suae ipsorum assimilantes, alios sibi infestos esse existimant,

---

vaticinationem per crystallum, et hallucinationem quae vocatur et insaniam alicuius, qui a daemone quodam correptus sit, non minus frequenter apud populos incultos quam in nostra societate reperiri; quae omnia animismum peperisse putat.

[1]) Vide Tiele, Geschiedenis van den Godsdienst in de Oudheid I p. 7: „Het Animisme is niet zelf een godsdienst, maar een soort van primitieve wijsbegeerte, die niet alleen den godsdienst, maar het gansche leven van den natuurmensch beheerscht." Tylor, Prim. Cult. I 426: „Animism is, in fact, the groundwork of the Philosophy of Religion, from that of savages up to that of civilised man." Chantepie de la Saussaye, Lehrbuch der Religionsgeschichte I² p. 13: „Der Animismus spielt in allen Religionen eine Rolle, vorherrschend freilich bei den niederen Rassen."

[2]) Chantepie d. l. S., l. l. I 13: „Die Seelen werden Geister, nicht mehr an die einzelnen Wesen gebunden."

ut ab iis damnum sit metuendum, alios sibi benevolos beneficiendique facultate praeditos cogitant; quorum hosce colunt ne benevolentiam perdant, illos, ut inimicitiam deprecentur. Ceteros animos, quos omni in homines potestate carere putent, nulla veneratione frui per se intelligitur.

§ 3. In duo dogmata animismum divisum esse iam vidimus: quorum alterum ad animos in singulis rebus habitantes pertinet, qui post mortem vel interitum ex iis discedunt, alterum animos certa sede carentes continet, inde ab humillimis usque ad eas, quae deorum potestatem habent [1]). Quorum dogmatum hoc eam superstitionem, quam Tiele [2]) spiritismum vocat, creavit, illud homines ad eum cultum, qui fetissismus dicitur, perduxit.

CAPUT II.

De variis sententiis ad fetissismum pertinentibus.

§ 4. Quamquam omnia supra dicta plausibilia esse videntur, magna tamen inter viros doctos de fetissismi significatione dissensio fuit. Alii [3]) omnium deorum cultuum initium, alii [4]) religionis degenerationem eum habent. Sunt qui omnia, quae ab hominibus incultis coluntur,

---

[1]) Cf. Tylor, Prim. Cult. I 426.

[2]) Tiele, Geschiedenis v. d. Godsdienst in de Oudheid I p. 7.

[3]) A. Comte, Cours de Philosophie Positive V 1—83 (52e Leçon). De Comtii opinione de fetissismo cf. J. Stuart Mill, Auguste Comte and positivism[2] pp. 9—20.

[4]) Max Müller, Hibbert Lectures, On the Origin and Growth of Religion, especially as illustrated by the Religion of India. Muelleri opinionem oppugnant Tiele, Een probleem der godsdienstwetenschap, Gids 1871, et A. Lang, Custom and Myth 212—242. O. Pfleiderer Muellero assentitur, quamquam eius opinio aliis argumentis nititur: „Wir haben daher den Fetischismus als unbedingter Rückschritt vom Standpunkte der Urreligion aus zu betrachten." Die Religion, ihr Wesen und ihre Geschichte II 104.

eidem superstitioni ascripserint. Schultze [1]) praesertim eius significationem quam maxime amplificavit; non solum omnium corporum terrestrium, velut saxorum, arborum, animalium, montium, marium, fluviorum venerationem, sed etiam solis, lunae, astrorum, nubium cultum fetissismo attribuit [2]). Fetissum eius opinione corpus est tractabile, quod quamcumque ob causam potestatem singularem animumque tamquam humanum habere putatur, quam ob rem colitur [3]). Non animus igitur, qui corpus illud habitare creditur, veneratione fruitur, sed corpus ipsum, quia animi domus est [4]). Alii fetissismum ab arte magica non discernunt, eumque non ad coelum, solem, lunam, sed tantum ad res terrestres pertinere credunt [5]). Equidem in hocce libro Schultzii definitionem sequar.

---

[1]) F. Schultze, Der Fetischismus.

[2]) Wilken, in libro qui inscribitur: „Het Animisme bij de volken v. d. Ind. Archipel", Schultzio prorsus assentitur; duo autem fetissorum genera distinguit, ea, quae singulus quisque possidet et veneratur, velut instrumenta et amuleta, eaque quae ab omnibus coluntur.

[3]) Schultze l.l. p. 222: „Der Fetisch ist ein sinnlich wahrnehmbares Object, dem man besondere ursächliche Kräfte beimisst, indem man es anthropopatisch auffasst, und das man deshalb verehrt."

[4]) Tiele, Een Probleem der Godsdienstwetenschap p. 120: „De Wilde aanbidt niet den geest, die in den steen woont (dat is een hooger trap van godsvereering), hij aanbidt datgene, wat voor ons een steen, voor hem echter een bezield, machtig, goddelijk wezen is."

[5]) Sir John Lubbock, Origin of Civilization and primitive condition of man p. 199: „Fetichism is the stage in which man supposes he can force the deities to comply with his desires.". Ibidem p. 319: „Fetichism is not truly a form of „worship" at all. For the negro believes that by means of the fetich he can coerce and control his deity. In fact, Fetichism is mere witchcraft." Cf. Caspari, Die Urgeschichte der Menschheit I p. 304; Chantepie de la Saussaye, Relig. gesch. I p. 15.

CAPUT III.

De totemismi ratione et origine. Quas partes in religionum historia egerit.

§ 5. Alia superstitio animismo nitens totemismus vocatur; quam apud populos incultos cognoscere operae pretium est, antequam aliquid de hoc cultu apud Graecos coniiciamus. Nonnulli populi in America et Australia habitantes non singulas quasdam res, sed animalium plantarum aliarum rerum species universas colunt. Qui populi in tribus et gentes eo modo divisi sunt, ut materna, non paterna origo familiam formare habeatur, neque cuiquam feminam ex eadem gente aliave tribu in matrimonium ducere liceat. Quemadmodum autem homines ita animalia quoque et plantas in varias gentes divisas esse opinantur, et quidem ita ut singulas hominum gentes cum singulis animalium aut plantarum gentibus quam artissime cohaerere [1]), quin etiam ab iisdem proavis originem duxisse existiment. Nonnumquam alias quoque res tali modo secum cognatas esse cogitant, sed praesertim animalia talibus vinculis cum hominibus coniuncta iis videntur [2]). Homines autem animalia illa aut plantas magna pietate venerari non mirum est; totemum quod dicitur hominem, cui cognatum est, tuetur, variisque in modis ab eo colitur: Si animal est, non necatur neque editur, sin planta, non carpitur aut

---

1) J. G. Frazer, Totemism p. 1: „A totem is a class of material objects which a savage regards with superstitious respect, believing that there exists between him and every member of the class an intimate and altogether special relation."

2) Frazer l. l. p. 2: „As distinguished from a fetish, a totem is never an isolated individual, but always a class of objects, generally a species of animals or of plants, more rarely a class of inanimate natural objects, very rarely a class of artificial objects."

caeditur [1]). Neque solum necare aut edere totemum non licet — nisi cum sollemniter sacrificatur — sed saepe etiam manibus totemum attingere, nonnumquam oculos in id coniicere nefas habetur [2]), morboque aut morte ab eo puniri putatur [3]).

§ 6. Tria totemorum genera reperiuntur: ea quae toti alicui genti communia sunt, et hereditate a matre ad liberos transeunt; ea quae ad omnes feminas aut ad omnes viros tribus alicuius pertinent; ea quae cum singulis tantum hominibus coniuncta sunt [4]). E quibus totemum gentile ceteris longe maioris momenti est. Quia enim gentiles non solum de eo vocantur, sed etiam sese eius consanguineos putant, et communibus officiis communique pietate erga totemum inter se coniuncti sunt, ipsa superstitione quam artissime cohaerent et tamquam unam societatem formant. Ut magis in totemi tutela sint, gentiles sese ei assimilant: cutem enim eius pro veste sibi induere, aut corpus mutilare ut eius figuram referat, aut formam eius in corpore acu depingere solent [5]); arma quoque, casae, scaphae dominorum totemum tamquam signum in iis depictum ostendunt [6]). Si quis nascitur [7])

---

1) Frazer l. l. p. 2: „The connexion between a man and his totem is mutually benificent; the totem protects the man, and the man shows his respect for the totem in various ways, by not killing it if it be an animal, and not cutting or gathering it if it be a plant."

2) Frazer l. l. p. 11: „The rules not to kill or eat the totem are not the only taboos; the clansmen are often forbidden to touch the totem or any part of it, and sometimes they may not even look at it."

3) Frazer l. l. pp. 16 sqq.

4) Frazer l. l. p. 2.

5) Frazer l. l. p. 26.

6) Frazer l. l. p. 30.

7) Frazer l. l. pp. 32 sq.

aut ad pubertatem venit [1]) aut uxorem ducit [2]) aut moritur [3]) variae caerimoniae in totemi honorem celebrantur.

§ 7. Haec omnia ad cultum pertinent; societati autem quoque haec superstitio magni momenti est. Tota enim gens tamquam una familia habetur, omnesque gentiles sese adiuvare atque tueri obstricti sunt [4]). Si quis necatur, omnes eius mortem ulciscuntur; sin quis homicidium committit, toti eius genti ratio reddenda est [5]); gentilem suum necare summum nefas habent; totemum enim ipsum tum interfici existimant.

§ 8. Quamvis multa postremis hisce annis de totemismo scripta sint, nemo adhuc eius originem certis argumentis indicare potuit. Neque Mc Lennan [6]), qui primus de hac superstitione scripsit, neque Tylor [7]), neque Lang [8]) quaestionem illam solvere posse sibi visi sunt.

§ 9. Lubbock [9]) et Spencer [10]) ambo fere eandem explicationem, ut ita dicam, Euhemeristicam dederunt quam

---

1) Frazer l. l. pp. 38 sqq.

2) Frazer l. l. pp. 33 sqq.

3) Frazer l. l. pp. 36 sq.

4) Frazer l. l. p. 57: „All the members of a totem class regard each other as kinsmen or brothers and sisters, and are bound to help and protect each other."

5) Frazer l. l. p. 57: „In blood feud the whole clan of the aggressor is responsible for his deed, and the whole clan of the aggrieved is entitled to satisfaction." Usus caedis caede expiandae apud permultos populos obvius fortasse e totemismo effluxit.

6) Fortnightly Review, n. s. tom. VI (1869) pp. 407 et 562; VII (1870) p. 194.

7) Researches into the early History of Mankind (3a ed. 1878) pp. 284 sqq.; Primitive Culture (6a ed. 1873) pp. 234 sqq.

8) Custom and Myth (1884); Myth, Ritual and Religion (1887); Modern Mythology (1897) pp. 70 sqq.

9) The origin of civilization and the primitive condition of man (1870) pp. 183 sqq.

10) The origin of animal worship (1870) (Essays scientific, political and speculative III pp. 99 sqq.).

Tylor dubitanter proposuerat. Animal enim aut planta, a quibus gentes originem duxisse putantur, eorum virorum doctorum opinione nihil est nisi homo, qui, ut persaepe apud populos incultos fit, de eo animali aut planta vocabatur, quique, magnam gloriam in bello adeptus, in posterorum ore mythica tamquam persona factus est; linguae autem ambiguitate in fabulis quae de eo narrabantur non amplius accurate distinguebatur, utrum de homine an de animali sive planta sermo esset; sic confusio illa semper ita accrescebat, ut tandem animal sive plantam proavum suum esse opinarentur; ut autem maiores humani coluntur, ita proavum illum quoque tali honore dignum, quin etiam multo digniorem iudicant, utque sese ab eo originem duxisse cogitant, ita animalia sive plantas eiusdem speciei eundem proavum habere, et tamquam fratres suos esse existimant [1]). Hancce explicationem, quae quod ad linguae ambiguitatem attinet, Maximiliani Muelleri fabularum interpretationes nobis in memoriam reducit, minime rectam esse Marillier [2]) ostendit.

---

[1]) Alice C. Fletcher, A study of the Omaha tribe: The import of the totem (Smithonian Report 1897, pp. 577—586) putat totemum gentilicium e singulorum hominum totemis ita ortum esse, ut proavi alicuius totemum eius posterorum totemum factum sit. Apud Omahas pars alicuius animalis, plantae, lapidis, alius rei, quae a quoquo, postquam ad pubertatem venit atque certos quosdam ritus perfecit, in somnio visa est, per totam vitam pie servatur et sacrosancta habetur, nam maiorem minoremve potestatem ei attribuere putatur. „This memento or totem was never an object of worship; it was the man's credential, the fragment, to connect its possessor with the potentiality of the whole species represented by the form seen in the vision, and through which the man's strength was to be reenforced and disaster averted." Cf. E. S. Hartland, Totemism and some recent discoveries, Folklore XI pp. 52—80.

[2]) L. Marillier, La place du totémisme dans l'évolution religieuse, Revue de l'histoire des religions 1897, tom. 36 pp. 212 sqq. Cf. Tylor, Remarks on Totemism, Journal of the Anthrop. Inst. of Gr. Brit. 1898,

§ 10. Frazer [1]) prorsus aliam viam iniit. Totemum enim nihil aliud esse putat nisi vitae hominum receptaculum, ita quidem ut unusquisque gentilis vitam suam in aliquo animali aut planta depositam esse existimet [2]). Quam ob causam universam illam speciem genti illi sacrosanctam esse per se intelligitur. Qui enim tale animal necet aut plantam talem carpat, simul hominem, cuius vita in iis deposita sit, vel etiam sese ipsum fortasse, morte afficiat. Non statim autem postquam aliquis natus est, vita eius in totemum transire iubetur, sed cum ad pubertatem pervenit certis quibusdam caerimoniis ficte necatur et deinde in vitam reducitur [3]), ita quidem ut cum totemo vitas inter se commutet [4]). Ipse igitur animalis sive plantae alicuius animam [5]) in se recepit, suam contra animam in animali sive planta illa tamquam in receptaculo depo-

---

vol. I (n. s.) p. 145: „Mr. Herbert Spencer's conjecture as to ancestors named Wolf, Bear etc., giving descent to clans so called, is merely artificial."

[1]) Golden Bough II p. 337: „Therefore the reason why a tribe revere a particular species of animals or plants (for the tribal totem may be a plant) and call themselves after it, must be a belief, that the life of each individual of the tribe is bound up with some one animal or plant of the species, and that his or her death would be the consequence of killing that particular animal, or destroying that particular plant."

[2]) G. B. II p. 338: „The totem, if I am right, is simply the receptacle in which a man keeps his life, as Punchkin kept his life in a parrot, and Bidasari kept her soul in a golden fish."

[3]) G. B. II p. 342: „Amongst many savage tribes, especially such as are known to practise totemism, it is customary for lads at puberty to undergo certain initiating rites, of which one of the commonest is a pretence of killing the lad and bringing him to life again."

[4]) G. B. II p. 343: „The lad dies as a man and comes to life again as an animal."

[5]) Hic tantum de vita, non de animo sermo fieri videtur; quam ob rem voce anima vitae sensu utor.

suit. Si haec explicatio vera est[1]), totemismus quoque non prorsus ab animismo segregandus videtur. Wilken iam antea animam humanam saepe apud populos incultos in animalibus plantis aliis rebus depositam putari, artumque eorum opinione vinculum inter hominem et animae eius receptaculum effici multis exemplis ostenderat[2]). Quibus aliisque exemplis nisus Frazer totemismum quoque ita explicandum existimat. Sed, ut Tylor[3]) ait, mirum est, numquam apud populos, qui totema venerentur, de hominum animis in totemis inclusis sermonem fieri; neque minorem admirationem movet, alicui quotidie metuendum esse ne necetur ab uxore sua et liberis; nam quia nemo uxorem habet nisi e gente aliena, uxorque igitur aliud totemum veneratur ac maritus, fieri potest ut animal huiusce genti sacrum ab illa comedatur; itaque si in animali illo anima mariti deposita sit, uxor et liberi — qui idem totemum colunt ac mater — mariti et patris animae receptaculum comedant. Quocirca Tylor Frazeri opinionem minus probabilem iudicat.

§ 11. Aliam, etiam ad animismum pertinentem, explicationem Wilken[4]) proposuit. Populos enim in Indici

---

[1]) L. Marillier, l. l. p. 233 eam dubitanter approbat: „En ces conditions et en présence du témoignage que fournissent d'une part les rites d'initiation et d'autre part les multiples légendes relatives à l'esprit exterieur (external soul), qu'il a réunies dans le Golden Bough (II pp. 296—326), l'hypothèse de Frazer doit être provisoirement acceptée."

[2]) G. A. Wilken, De Simsonsage: De betrekking tusschen Menschen-, Dieren- en Plantenleven.

[3]) Remarks on Totemism, l. l. p. 146.

[4]) G. A. Wilken, Het Animisme bij de volken van den Indischen Archipel p. 75: „Niet dus, gelijk Spencer wil, een „misinterpretation of nicknames," doch de zielsverhuizing is de verbindende schakel tusschen het totemisme aan den eenen, en den dienst der afgestorvenen aan den anderen kant, welke schakel, bij vele volken weggevallen, in den Archipel meestal nog duidelijk merkbaar is."

maris insulis habitantes animalium quasdam et plantarum species, in quas maiorum suorum animas transiisse putent, venerari animadvertit; quae superstitio totemismum et mortuorum cultum inter se connectere ei videtur; Tylor hanc opinionem approbat, quamquam nihil certi statui posse adiicit [1]. Codrington [2] quoque in Melanesia eiusmodi vincula inter mortuorum cultum et totemismum notavit. Re vera e tali veneratione animalium et plantarum totemismum effluxisse veri est simillimum; quam ob rem haec quoque superstitio animismo attribuenda videtur.

§ 12. Non minus autem quam de origine totemismi de partibus, quas in religionum historia egit, viri docti dissentiunt. Robertson Smith [3] ubique terrarum hancce superstitionem viguisse, omniaque victimarum sacrificia ex ea emanasse putat. Jevons [4] non tantum ei assentitur sed eius opinionibus sensum latiorem adhibuit atque quae varie ab eo disputata erant in unam certamque doctrinam connexuit. Frazer quoque, Lang, Hartland [5], alii totemismum quam maximi momenti in priscis deorum cultibus

---

[1] Remarks on Totemism p. 147: „By thus finding in the world-wide doctrine of soul-transference an actual cause producing the two collateral lines of man and beast which constitute the necessary framework of totemism, we seem to reach at least something analogous to its real cause. But considering the variations found even between neighbouring tribes in the working of their ideas, it would be incautious to lay down as yet a hard and fast scheme of their origin and development."

[2] R. H. Codrington, the Melanesians pp. 32 sq.

[3] The religion of the Semites (1890); Kinship and marriage in early Arabia (1885); Encycl. Brit. s. v. Sacrifice; Animal worship and animal tribes among the Arabs and in the Old Testament (Jonrn. of philology IX 17, 1880).

[4] F. B. Jevons, An Introduction to the History of Religion (1896).

[5] E. S. Hartland, The legend of Perseus.

fuisse existimant; alii contra, velut Marillier, Tylor[1]), Hubert, Mauss[2]), totemismo multo minorem auctoritatem attribuunt. Licet eius vis re vera a nonnullis in maius elata sit, neque omnes animalium et plantarum cultus ad eandem illam superstitionem referendi sint, totemismi tamen vestigia nonnulla apud Aegyptios[3]), Semitas[4]), Indos[5]), Romanos[6]), Graecos[7]) reperiri, gentiumque nonnullarum nomina, caerimoniae quaedam, fabulae denique nonnullae eorum populorum magna cum probabilitate totemismo attribuenda videntur. Quocirca qui de animalium et plantarum cultu apud Graecos agit, ei sine dubio huiusce superstitionis ratio habenda est.

---

1) Remarks on Totemism p. 144: „What I venture to protest against is the manner in which totems have been placed almost at the foundation of religion."

2) H. Hubert et M. Mauss, Essay sur le sacrifice, l'Année sociologique 1898 (pp. 29—138) p. 32: „D'abord, l'universalité du totémisme, point de départ de toute la théorie (de Robertson Smith), est un postulat. Le totémisme n'apparaît à l'état pur que dans quelques tribus isolées de l'Australie et de l'Amérique. Le mettre à la base de tous les cultes thériomorphiques, c'est faire un hypothèse, peut-être inutile, et qu'il est, en tout cas, impossible de vérifier."

3) Cf. Lang, Myth, Ritual and Religion II pp. 101 sqq.; Jevons l. l. pp. 121 sqq.

4) Cf. Robertson Smith, The Religion of the Semites pp. 130 sq., 424 sq.; Jevons l. l. pp. 127 sqq.

5) Cf. H. Oldenberg, Die Religion des Veda pp. 85, 358, 415; Macdonell, Vedic Mythology p. 153.

6) Cf. Lang l. l. I p. 279. Vide infra Lib. III § 29.

7) Cf. Lang l. l. I p. 276, II p. 205; Custom and Myth p. 110; Jevons l. l. pp. 125 sq. Vide infra Lib. III §§ 10—27.

CAPUT IV.

De archetypis ad quos singulae animalium et plantarum species ab incultis populis referri solent. De cognatione deorum generis superioris cum daemonibus inferioris ordinis.

§ 13. Cum totemismo cohaerere videntur diversae rationes quibus populi inculti explicare conantur, cur singulae eiusdem speciei res alia alii similes sint; etenim a communi quodam proavo originem eas ducere credunt, aut omnes archetypi eiusdem imagines esse [1]), aut eundem deum in universa specie habitare eamque administrare putant, aut has opiniones quodammodo coniungunt [2]). E multis autem populis, apud quos tales superstitiones adhuc vigent, aut olim viguerunt, cultissimi erant Finni, qui singulos deos sive genios singulas quasque rerum species creavisse atque tueri existimabant; quos deos rebus illis non inclusos sive iis astrictos opinabantur, sed liberas personas, corpore et animo praeditas, habebant.

§ 14. Haud scio an Tylor [3]) rectum viderit, tales superstitiones apud Aegyptios et Graecos causam fuisse, cur singulae animalium plantarum aliarum rerum species

---

[1]) De Brosses, Les Dieux Fétiches p. 58, ideas Platonicas cum archetypis illis comparat.

[2]) Tylor, Prim. Cult. II² p. 243: „To explain the existence of what we call a species, they would refer it to a common ancestral stock, or to an original archetype, or to a species deity, or they combined these conceptions. For such speculations, classes of plants and animals offered perhaps an early and certainly an easy subject."

[3]) Prim. Cult. II 245 sq : „It seems as though some similar view ran through the doctrine of more civilized races, as in the well-known Egyptian and Greek examples where whole species of animals, plants, or things, stand as symbolic of, and as protected by, particular deities."

universae in singulorum deorum tutela esse putarentur. Apud Graecos quidem diversae species uni deo sacrae erant, sed id fortasse ita explicandum est, ut complures genios sive deos in unum deum conflatos esse coniiciamus.

§ 15. Quaesiverit quispiam, qua ratione dii supremi geniorum inferiorum munera suscipere potuerint, quippe qui prorsus ab iis diversi fuisse videantur. Attamen gradu quidem et ordine dii excelsiores ab inferioribus differebant, ratione et natura non ab iis segregandi sunt. Ut enim populi inculti nonnulli hodierni coelum solem lunam terram fetissa habent, quae hominibus aut nocere aut adiumento esse possint, ita populi prisci quoque principio non aliter de iis cogitasse videntur, deinceps tamen ab hisce fetissis animum segregasse ad quem hanc nocendi aut adiuvandi facultatem transtulerint; tandem tertio loco hosce animos a coelo sole luna terra plane solutos deos illos excelsos factos esse qui totum mundum regerent veri est simillimum [1]).

---

[1]) Ante hos fere octoginta annos C. O. Müller primus mythorum rationem ita explicare conatus est, ut eos effluxisse putaret e certa quadam populorum priscorum cogitandi ratione, qua omnia quae in terra coeloque fierent in actione aliqua certarum personarum consistere crederent Post Muellerum diu regnaverunt mythologi qui dicuntur comparativi: Kuhn Schwartz Max Müller alii, qui mythos fere omnes temporibus illis priscis, quibus stirps Indo-Germana nondum in varios populos divisa esset, ortos esse credebant-qua in re nominum etymologiae fidebant-eosque plane referre ea quae in coelo et in aëre fierent perhibebant, ita ut in iis quae de diis et heroibus populi prisci fabularentur paene nihil esset nisi quod ad certas quasdam res quae in solis aut lunae ortu aut occasu fierent aut ad ventos, imbres, tonitrum, fulmen, pluvias spectaret. Dii igitur fere omnes ex fonte illo mythologico emanasse credebantur, quin etiam superstitiones prorsus ab eo alienae, velut arborum veneratio, eodem modo explicabantur. Paene funditus tamen comparativorum doctrinam evertisse mihi videntur ii qui dicuntur anthropologi: Mannhardt Tylor Lang Frazer alii, qui clare ostenderunt, e populorum incultorum superstitionibus atque cultibus multa, quae adhuc in antiquis mythis plane

§ 16. Quod si verum est, facilius intelligere possumus, deos excelsiores cum inferioribus conflatos esse. Fac v. c. alicubi animalia quaedam aut plantas venerationi fuisse, ita quidem ut daemon quidam anonymus in universa animalium aut plantarum specie aliqua sedem habere, aut in singulo animali sive planta habitare crederetur; iam introducitur novus deus excelsissimus coelum solem lunam terram habitans; mox prisca illa superstitio cum novo cultu eo modo conflatur, ut deus excelsus unus atque idem habeatur ac vetus ille daemon; quem per tot saecula anonymum coluerunt, eius nomen tandem cognovisse sibi videntur. Quod profecto non fecissent aut saltem facere iis minus in promptu fuisset, si deos coelestes natura ab inferioribus plane differre credidissent.

§ 17. Praeter Graecam religionem Aegyptiacae imprimis superstitiones probant, quam arcte excelsiores de diis ideae cum inferioribus cohaereant: Isidem, deam coelestem, forma vaccae coelum repraesentare credebant, aut eam capite vaccino effingebant; solis deum in bove Api habitare pro certo habebant. Apud Indos quoque huiusce rei exempla reperiuntur, velut deus cui nomen Soma, planta sacra simulque plantarum rex atque tutela, qui etiam lunam repraesentare credebatur; idem deus apud Iranios Haoma nuncupabatur. Romanos animalium et arborum cultus cum deorum supremorum veneratione coniunxisse res est notissima. Diversis igitur in religionibus vinculum exstitisse

---

obscura essent, optime explicari posse. Fontenelle quidem et De Brosses eandem viam inierant, sed eorum opiniones nondum certis fundamentis nitebantur. Minime verum esse, omnia in mythis Indo-Germanis e naturae virium personificatione quam dicunt esse explicanda, nunc fere omnes concedunt, ubique enim in iis veterum plane aliarum superstitionum vestigia reperiri constat.

videmus inter superstitiones sublimiores et humiliores, neque mirum, nam, ut iam supra diximus, omnes animismo tamquam fundamento nitebantur.

CAPUT V.

De animalium venerationis causis diversis.

§ 18. Universe priscarum superstitionum ratione aliquatenus explicata iam de singulis animalium arborum lapidum sacrorum generibus agemus. Varias enim ob causas ea sacra habita esse vidimus, sed nondum singulas quasque enumeravimus; qua in re populorum incultorum hodiernorum denuo nos doceant necesse est.

§ 19. Alii nullam aliam ob causam animalia colunt, quam quia ea hominibus robustiora aut velociora aut callidiora esse, animumque aeternum habere existimant; alii quia genius sive deus aliquis in animali quodam habitare iis videtur; alii universum aliquod genus venerantur, quia genium sive deum omnibus illis inesse et singulum quodque animal tamquam eum repraesentare putant; alii quia maiorum suorum animos in certum quoddam animalium genus transiisse opinantur; alii quod ea tamquam fratres se ipsis potentiores habent, quippe qui ab eodem proavo originem ducant.

§ 20. Duo denique animalium cultuum genera digna sunt quae observentur: alia enim neque necare neque edere licet, quia coluntur, alia contra venerationem habent quia necantur atque eduntur [1]). Quorum generum illud ad

---

[1]) Frazer G. B. II p. 138: „Thus the primitive worship of animals assumes two forms, which are in some respects the converse of each other. On the one hand animals are respected, and are therefore neither killed nor eaten,.... on the other hand animals are worshipped because they are habitually killed and eaten."

totemismum et mortuorum cultum, hoc ad aliam venerandi rationem de qua nondum locuti sumus, pertinet. Nonnulla enim animalia, hominibus utilissima, quoniam carnem iis praebent ad edendum, cutemque suam ut iis pro vestitu sit, velut ursi, ita coluntur, ut catuli eorum nonnulli capti summa cura educentur atque foveantur; quo ceteri placari putantur [1]).

§ 21. Diversissimas igitur ob causas, variisque modis animalia venerationem habere constat; id tamen vere dici posse videtur, e causis supra enumeratis primam et postremam tantum, quae ad robur, velocitatem, calliditatem, aut ad utilitatem pertineant, ab animismo segregandas esse; quamquam fortasse eae quoque cum animismo cohaerent; animalia enim illa non colerentur, nisi animum humanae menti similem sive ea superiorem habere putarentur.

CAPUT VI.

De arborum venerationis causis diversis.

§ 22. Animalibus tractatis ad arbores transeamus. Quas non minus quam animalia hominum incultorum opinione animum habere iam vidimus; corpora denique illa animata dolore affici, gemere, quin etiam sanguinem fundere creduntur, si vulnera iis infligantur, quia nulla re ab hominibus et animalibus differre existimantur. Nonnumquam mortuorum animos in arbores transire credi supra iam memoratum est [2]). Sed aliter res se habet, si animus

---

[1]) Frazer l. l. p. 132.

[2]) Vide Lib. I § 11. Cf. Wilken, Animisme pp. 75 sq.; Frazer G. B. I p. 62; Mannhardt, Antike Wald- und Feldkulte pp. 20 sqq.

genius [1]) factus est; tum enim arbor non corpus, sed domus genii est, unde excedere potest [2]); quam ob rem si homines, qui tali superstitioni dediti sunt, arborem caedunt, ut in aliam arborem transeat genium orare solent. Perdifficile tamen est accurate distinguere, utrum arbor sacra animi corpus an genii domus a cultoribus habeatur [3]); nam animum quoque humana forma praeditum cogitari e hamadryadum ratione clare apparet; quae quamquam nymphae prorsus humanae habentur, vulneribus tamen arbori suae illatis ipsae dolore afficiuntur, simulque cum ea moriuntur. Multo autem iis superior sublimiorque est genius ille aeternus, qui libere ex alia arbore in aliam transeundi facultate instructus, silvarum denique deus fit; potestatem quidem, quae ei ascribitur, animus quoque arboris habere putatur [4]): ambo enim pluviam atque solem efficere [5]), fruges [6]) et pecora augere, mulieres fecunditate facilique partu donare creduntur [7]). Aliam autem arbores

---

[1]) Voce „genius" uti mihi liceat pro animo circumvolitante, qui domo sua excedere possit; quem nihil ad genium Romanum pertinere nemo non videt.

[2]) G. B. I 62: „But, according to another and no doubt later view, the tree is not the body, but merely the abode of the tree-spirit, which can quit the injured tree as men quit a dilapidated house." Mannhardt quoque, in libris qui inscribuntur: „Der Baumkultus der Germanen und ihrer Nachbarstämme," et „Antike Wald-und Feldkulte", fuse de variis illis rationibus disputat. Cf. Tylor, Prim. Cult. II 215—229.

[3]) Prim. Cult. II 215: „Whether such a tree is looked on as inhabited, like a man, by its own proper life or soul, or as possessed, like a fetish, by some other spirit which has entered it and uses it for a body, is often hard to determine."

[4]) G. B. I 66: „The powers which he exercised as a tree-soul incorporated in a tree, he still continues to wield as a god of trees."

[5]) G. B. I 66: „First then, trees or tree-spirits are believed to give rain and sun-shine."

[6]) G. B. I 67: „Again, tree-spirits make the crops to grow."

[7]) G. B. I 70: „Again, the tree-spirit makes the herds to multiply and blesses women with offspring."

venerandi rationem ad totemismum pertinere iam vidimus, quae quidem superstitio etiam cum animismo cohaerere videtur.

§ 23. Multi contra viri docti prorsus alias causas arborum venerationem effecisse perhibuerunt. Réville [1]) enim Sanchoniathonis [2]) opinionem approbat, homines temporibus antiquissimis arbores et plantas coluisse, quia fructibus frugibusque sese donarent. Sed nisi animum eas habere dandique aut abnuendi potestate praeditas esse credidissent, pro liberalitate illa homines iis gratias acturos fuisse non credo.

§ 24. Spenceri [3]) vero interpretationem, qui non solum totemismum, sed etiam omnes ceteros cultus e maiorum cultu ortos esse perhibet, maioresque illos, de arboribus vocatos aut in regionibus arboribus consitis natos, a posteris cum arboribus ipsis confusos esse putat, sopiendique potestatem quoque complurium plantarum homines ad venerationem perduxisse existimat, hanc viri docti iure reiecerunt.

§ 25. Alii symbolicam significationem arboribus sacris attribuerunt; e quibus Fergusson [4]) serpentem, saepissime cum arboribus coniunctum, virilem procreandi potestatem, arbores contra muliebrem significare putat; Trumbull [5])

---

1) A. Réville, Prolégomènes de l'Histoire des Religions (1881).

2) Euseb. Praep. Evang. I 10.

3) Herbert Spencer, The principles of sociology, tom. VI (Ecclesiastical Institutions) cap. I (The religious idea) pp. 671—704.

4) J. Fergusson, Tree- and serpent worship.

5) H. Clay Trumbull, The threshold Covenant or the beginnings of religious rites, p. 233: „From the earliest historic times the serpent seems to have been accepted as a symbol of the nexus of union between the two sexes, and to be associated, therefore, with the pillar and the tree." Ibidem p. 230: „Quite as widely extended, in both time and space, as the worship of the phallus as the symbol of masculine potency, is the recognition of the tree of life as the symbol of feminine nature in its fruit-bearing capacity."

quoque tali opinioni favet, cui tamen serpens arboris et coni, i. e. muliebris et virilis sexus, coniunctionem symbolice indicare videtur.

Schwartz [1]) contra arbores tamquam coelestis cuiusdam arboris imagines ab Indo-Germanis coli perhibet, cuius folia nubes, rami solis radios, fructus astra significent. Quas explicationes minime rectas, postremam denique absurdissimam habeo. Baudissin [2]) quoque Semitarum arborum cultum symbolica ratione interpretari conatus est: cupressus enim, palmas, malos puniceas fecunditate, quercus robore deorum potestatem ostendere ideoque diis sacras esse opinatur. Attamen eiusmodi symbolismus qui dicitur ab inculta mente prorsus alienus esse mihi videtur; arbores enim ob fecunditatem aut robur non coluissent, nisi eas animatas et mente praeditas habuissent. Quamvis igitur multas ob causas arbores venerationis honore ab hominibus dignae iudicentur, omnes tamen illae in animismo tamquam fundamento mea quidem opinione nituntur.

CAPUT VII.

De lapidum venerationis causis diversis.

§ 26. Restat ut de lapidum cultus ratione loquamur. Qua in re omnia bene distinguere non minus difficile esse

---

[1]) W. Schwartz, Indogermanischer Volksglaube p. 1: „Unter Anderem tritt uns eine solche Consolidierung der Elemente höchst bezeichnend in den sogenannten Baumkultus und den sich daran schliessenden mythisch-religiösen Vorstellungen entgegen, welche nicht.... aus dem Waldleben der Urzeit unmittelbar hervorgegangen, sondern ursprünglich auf Vorstellungen von einem wunderbaren Welt- oder Himmelbaum zurück zu führen sind, als dessen Abbilder nur gleichsam gewisse irdische Bäume dann eingetreten."

[2]) W. W. Graf Baudissin, Studien zur semitischen Religionsgeschichte II 184—230.

quam in animalium et arborum veneratione, ex interpretationum varietate clare apparet. Neque mirum, nam per totum orbem terrarum lapides sacrosancti adorantur, neque ubique uniformes sunt, sed rupes, saxa rudia, lapides quoquomodo insculpti aut depicti, coni, obelisci, pyramides, lapides erecti aut iacentes, magni aut parvi, complures uno loco collocati aut congesti aut singuli coluntur. Stipitum autem cultum cum lapidum veneratione arte cognatum esse Tylor et alii rectissime animadverterunt.

§ 27. Lapidum autem et stipitum duo genera distinguenda videntur; alii enim prorsus rudes, alii hominum manibus forma quadam rudiore aut subtiliore instructi sunt; illos tamquam animatos vel geniorum domus venerationem habere facile intelligi potest, horum contra cultus multo obscurior est. Nolimus igitur mirari, virorum doctorum de iis sententias in contrarias partes discessisse. Symbolismus enim et animismus, ut semper, hac quoque in re tesserae sunt, quae in doctrinarum pugna usurpantur; neque ii quidem, qui eandem tesseram habent, prorsus inter se consentire videntur.

§ 28. Qui symbolorum, ut ita dicam, avidi sint, atque ubique tamquam canes venatici eorum vestigia indagent, eos pulchram hancce praedam non omisisse per se intelligitur; nam quo obscurior aliquae res esse videtur, eo facilius symbolismus ille fatalis ea potiri potest. Omnes, inquiunt, lapides erecti, coni, pyramides, obelisci, nihil aliud sunt nisi phalli, divinam procreationem symbolice repraesentantes [1]). Movers [2]) omnibus obeliscis ligneis et

---

[1]) Iam Zoëga, in libro qui inscribitur „De origine et usu obeliscorum" (1797) de affinitate phalli cum cippis truncis lapidibus loquitur, ita quidem, ut eos non apud priscos Graecos, sed tantum postquam Dionysi cultus Graeciam invasisset phallos habitos esse opinetur (pp. 213 sqq.).

[2]) Movers, Die Phönizier I pp. 570 sqq.

lapideis a Semitis adoratis huncce sensum attribuit; Trumbull [1]) conum ubique in Oriente virilis procreationis symbolum fuisse pro certo statuit; W. Schwartz [2]) non solum eidem opinioni favet, sed etiam omnes obeliscos et palos eo modo interpretatur, qui quidem symbolismus ei nondum satis est: phallus, inquit, erectus solem orientem significat. Sic alius alio *συμβολικώτερος* est, et optime in permultos interpretes egregium illud Goethianum cadit: »Ihr legt nicht aus, ihr legt hinein."

§ 29. Robertson Smith [3]) doctrinas tales mea quidem opinione rectissime reiecit atque refutavit; si enim coni non deos tantum, sed etiam deas repraesentant, quo modo phalli esse possunt? Neque minus recte aliorum, qui lapides deorum simulacra esse putant [4]), opinionem impugnat [5]);

---

[1]) Trumbull l. l. p. 231: „The cone is one of the conventional forms of the phallus, worshiped as a symbol in the temples of the goddesses of the East in earlier days and later." Ibidem p. 232: „It would seem, indeed, that the pillar and the tree came to be the conventional symbols of the male and female elements erected in front of an altar of worship, and that, in the deterioration of the ages, these symbols themselves were worshiped." Cf. F. Lenormant, apud Daremberg et Saglio, Dictionn. des antiquités grecques et romaines s. Baitylia, p. 642: „La pierre conique, dont la forme imitait celle du phallus dressé, tandisque la section de sa base rappelait la *κτείς*, cequi en avait fait généralement le symbole de la réunion des deux sexes dans la divinité."

[2]) Prähistorisch — anthropologische Studien p. 296: Der (rote) Sonnenphallos der Urzeit: „Die Verehrung aber des Phallos sowohl des Çiwas als des Hermes, Dionysos, Atys, Osiris u. s. w., — resp. der aufrecht stehenden Säule, des Baumstamms u. s. w. — das ist die allmählich sich entfaltende Verehrung der aufsteigenden Sonne und des mit ihr verknüpft dann gedachten Wesens als des himmlischen Zeugers, Schöpfers, Lebenspenders, Bildners u. s. w."

[3]) Relig. of the Semites (1894) pp. 211, 456.

[4]) Goblet d'Alviella, Des origines de l'idolatrie, Revue de l'Hist. des Rel. 1885, tom. XII p. 6: „Au besoin on taillera le bloc pour lui donner une forme allongée ou pyramidale, qui rappelle d'avantage les proportions humaines."

[5]) Rob. Smith l. l. p. 210.

nam si complures nonnumquam obelisci uno loco collocati unum deum repraesentasse videntur, talem interpretationem minime in eos quadrare nemo non videt.

§ 30. Quid igitur de lapidibus erectis, sive rudibus sive in coni aut pyramidis aut umbilici formam constructis, statuamus? Jevons [1]) altaria eos olim fuisse existimat, quam opinionem disertis verbis defendit. Non semper, inquit, evolutio quae dicitur, idem est ac progressus; nonnumquam deorum cultus a statu sublimiore ad deteriorem labuntur, quo modo lapides, qui olim altaria fuerunt, subsequentibus temporibus deorum domus vel ipsi dei habentur. Totemorum enim cultores certis temporibus ad lapidem quendam erectum conveniunt, ut animal sacrosanctum in eo mactent atque deinde comedant; qua ratione sese cum totemo artius coniungere putant, eiusque sanguine in lapidem effuso deum ipsum cippum intrare existimant. Haec igitur ara non sempiterna dei domus, sed certis tantum diebus sollemnibus eius sedes habetur. Attamen apud alios populos temporis decursu ritus illius verus sensus oblivione eo modo oppressus est, ut in ara deum semper habitare, quin etiam lapidem deum ipsum atque proavum suum esse opinentur. Sic Oneidae, homines rubri in America habitantes, certum quoddam saxum, a quo originem duxisse sibi videntur, pie venerantur, aliique Indiani idem faciunt, eandemque superstitionem fovent. Omnes autem populos olim totemorum cultores fuisse Jevons persuasum habet; ubi igitur lapides sacrosancti habentur aut a veteribus culti esse traduntur, ibi eius opinione totemismus oblivione oppressus atque in deterius delapsus superstitionem eam effecit. Accedit quod saepe saxa illa rubro pigmento

---

[1]) Introd. to Hist. of Rel. pp. 130—143.

depicta sunt[1]) — Schwartz hunc colorem auroram indicare perhibet! — quod sanguinem olim in ea effusum in memoriam reducere videtur. Attamen aliud saxorum rudium genus erat, in quibus genii hominibus inimici, neque ante tomemismi tempora neque ab ipsis totemorum cultoribus adorati, habitare putabantur; quae postea cum altaribus illis ita confundebantur, ut ea quoque veneranda existimarentur; quo modo duo genera in unum conflata sunt, et genii, olim inimici atque conspreti, nunc eodem ac amica illa totema pristina honore fruuntur, aut apud antiquos fruebantur. Totemismi autem tempore hostiae deo non sacrificabantur, sed animal totemi speciei tantum necabatur atque comedebatur, ut vinculum inter deum et cultores eius renovaretur; postea contra, ritus sensu obliterato, hostia deo tamquam donum offerri putabatur; quam ob rem homo incultus, de sublimiore totemismo ad eundem deteriorem statum, in quo antea fuerat, cum in quoquo singulari rupe atque lapide animum et potestatem humanis viribus superiorem inesse putabat, relapsus, alio tamen modo adversus genios lapides aliasve res habitantes sese gerit, nam nunc sacrificiis eos sibi propitiare didicit. Ita factum est ut lapidibus et rudibus et ab hominibus in formam quandam constructis per totum orbem terrarum sacrificetur aut a veteribus eodem modo culti esse tradantur.

§ 31. Quam explicationem ingeniosissimam esse libenter concedo, partimque eam accipere velim; vereor tamen, ne interpretatio, quae fortasse in lapides nonnullos quadret, a Jevonsio minus recte omnibus eorum cultibus accommodata sit. Quid enim de geniis illis inimicis nec

---

[1]) Cf. Lubbock, Orig. of Civiliz. pp. 296 sq., tab. III; Tylor, Prim. Cult. II p. 164.

tamen cultis dicamus? Nonne recte Marillier[1]) animadvertit, minime veri esse simile, hominem incultum, antequam totemismus vigeret, genios sibi malevolos in rupibus lapidibusque quibusdam habitare credidisse, nec tamen eos placare benevolentiamque eorum sibi conciliare conatum esse? Quod Jevons ideo tantum perhibet, quia notissimum illud:

»Primus in orbe timor fecit deos", [2])

quod Hume et permulti alii acceperunt, prorsus abiiciendum censet. Equidem hanc opinionem probare nolim, nam re vera timor plerumque homines ad venerandum perduxisse mihi videtur. Quocirca non credo, rupes et lapides rudes, propter singularem figuram aut aliam ob causam potestatis cuiusdam divinae sedes habitos, ab hominibus non prius cultos esse, quam cum aris antea, ut ita dicam, totemisticis, confusi essent; multorum quidem lapidum erectorum sive rudium sive obelisci, coni, pyramidis forma instructorum venerationem fortasse ex altarium usu ortam esse concedo, sed totam Jevonsii coniecturam accipere nolim. Quod ad conos et pyramides attinet, in hos quoque non nisi partim interpretatio illa quadrat; nam ut omnes illi manibus humanis tali forma instructi sint minime necesse est; quia enim fetissismus singulare quiddam requirit, lapides rudes, cono vel pyramidi quoquo modo similes, ob ipsam illam figuram animi alicuius domus creditos esse verisimile mihi videtur.

§ 32. Attamen praeter formam complures alias quoque

---

[1]) L. Marillier, La place du totémisme cap. VII, Revue de l'Hist. des Rel. 1898 tom. 37 p. 227.

[2]) Stat. Theb. III 661; Petron. fr. 27,1 Buecheler = Anthol. Lat. III 119,1; Serv. ad Aen. II 715; Fulgent. Mythol. I 1 p. 31; Lact. ad Stat. Theb. III 661.

causas rudium saxorum cultum peperisse censeo; e quibus aërolithos minime negligendos esse credo. Magnam certe admirationem aërolithi hominibus rudibus semper inferre solent; neque solum admirationem movent, sed etiam magnum timorem iis incutiunt; quid mirum, saxa illa de coelo delapsa numinum quorundam sedes haberi? Si omnia singularia suspicionem talem movent, aërolithos quoque sacrosanctos esse existimari per se intelligitur; apud antiquos autem etiam aliam ob causam veneratione fruiti esse videntur: stellae enim exstinctae habebantur, quae de coelo decidissent; de qua superstitione infra agam [1]. Sive autem altaria pristina, sive saxa singulari quadam forma praedita, sive aërolithi venerationi sunt et priscis temporibus fuerunt, semper ad animismum eam pertinere pro certo statuere possumus, nam semper animus in iis sedere creditur sive credebatur.

§ 33. Quod in aliud quoque lapidum adoratorum genus cadit, qui cerauniae vocantur. Homines enim inculti lapides illos ideo potestate divina instructos esse putant quia eorum opinione fulmine in terram deiecti sunt; nihil tamen aliud sunt nisi corpora lapidea, quae temporibus priscis, cum homines aeris aut ferri usum nondum didicerant, iis pro instrumentis atque armis, praesertim securibus, esse solebant. In India aliisque in regionibus secures tales lapideae fulminis dentes habentur; fulmen enim taurus esse dentesque suas in tonitru mugiens in terram defigere putatur [2], quam ob rem instrumenta illa lapidea incolis divinam vim habere et tamquam fetissa singulos et universas

---

[1]) Vide Lib. III § 3.

[2]) Cf. Wilken, Animisme p. 135; Semper, Die Philippinen und ihre Bewohner pp. 61 sq.; Lubbock, Prehistoric times p. 427; Rumphius, d'Amboinsche rariteitkamer pp. 207 sq.

societates tueri posse videntur [1]). Germanos [2]) quoque ceraunias illas coluisse Saxo Grammaticus [3]) testatur: »Cuius »operam valenter editam consimili probitatis genere emu»latus Magnus, inter cetera trophaeorum suorum insignia »inusitati ponderis malleos, quos Joviales vocabant, apud »insularum quandam prisca virorum religione cultos, in »patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas »tonitruorum causas usitata rerum similitudine compre»hendere, malleos, quibus coeli fragores cieri credebat, »ingenti aere complexa fuerat." Nec non Marbodus [4]) de ceraunia de coelo delapsa loquitur: »Qui caste gerit hunc, a »fulmine non ferietur, nec domus aut ville, quibus affuerit »lapis ille." Apud antiquos eandem superstitionem viguisse ex hisce Plinii [5]) verbis clare apparet: »Sotacus et alia duo »genera fecit cerauniae, nigrae rubentisque ac similes eas »esse securibus: ex his, quae nigrae sint et rotundae, »sacras esse, urbes per illas expugnari et classes, easque »betulos vocari: quae vero longae sint, ceraunias. Faciunt »et aliam raram admodum, et magorum studiis expetitam, »quoniam non aliubi inveniatur, quam in loco fulmine »icto" [6]).

§ 34. Praeter haec lapidum sacrorum genera a veteribus

---

1) Wilken l. l.: „Deze steenen worden, als met bovennatuurlijke macht begaafd, door den inlander met bijgeloovigen eerbied beschouwd en als fetisen aangewend tot bescherming van personen en gemeenschappen."

2) Cf. Grimm, Deutsche Mythologie II[4] cap. 37 p. 1021.

3) Saxo Gramm. XIII 236 (p. 421 Holder).

4) Marbod. De lapidibus cap. 28 vss. 410—417. Primus versus indicare videtur, de amuleto hic sermonem esse; aliud igitur cerauniarum genus fortasse, a securibus illis prorsus alienum, significatur.

5) Plin. Hist. Nat. XXXVII 51.

6) Cf. Michele de Rossi, Ann. de l'Inst. arch. XXXIX § 1; F. Lenormant, Les premières civilisations I p. 171; idem, Revue de l'Hist. des Rel. 1881, III pp. 47 sqq.; Daremb. et Saglio s. v. Baetylia, p. 646.

adoratorum etiam aliud nobis commemorandum est: terminos volo, a Graecis atque Romanis magno honore dignatos sacrificiisque donatos; de quibus infra, ubi de Graecorum superstitionibus agam, fusius loquar [1]).

CAPUT VIII.

De stipitum cultus ratione ac natura.

§ 35. Hisce pertractatis breviter de cultu quodam litholatriae cognato disputare velim. Qui enim de hac veneratione apud veteres scripserunt, Bötticher et Overbeck, eam ex arborum cultu ortam esse existimant; quod non nisi partim iis concedo. Licet enim stipites nonnulli commemorentur, qui re vera ad arborum adorationem pertinere videantur, permulti tamen alii prorsus ab ea abhorrere mihi videntur, neque mirum, nam populorum incultorum hodiernorum superstitiones nos idem docent.

Per totum enim orbem terrarum iuxta lapides stipites hominibus incultis pro fetissis sunt, in quibus animi habitare diversas ob causas existimantur; neque fere usquam apparet, stipitum illorum cultum ex arborum adoratione effluxisse, multoque artius cum litholatria eum cohaerere anthropologi qui dicuntur affirmant. Tylor saltem, vir in hac doctrina praestantissimus, truncos cum lapidibus tam arte coniungit, ut saepius de eorum cultibus tamquam de una eademque superstitione loquatur [2]). Quam ob rem apud

---

[1]) Vide Lib. III § 5.

[2]) Prim. Cult. II 160: „Under the general heading of Fetichism, but for convenience sake separately, may be considered the worship of „stocks and stones." Ibidem p. 162: „In Africa, stock-and-stone worship is found among the Damaras of the South." „The Turanian tribes of North Asia display stock-and-stone worship in full sense and vigour."

veteres omnes stipitum, palorum, pluteorum venerationes ex uno illo a Boetttichero indicato fonte emanasse non ausim perhibere; quin etiam fortasse pleraeque nullo alio vinculo ei coniunctae sunt nisi quod ambae superstitiones ad animismum pertinere videntur.

Sed iam satis de origine atque ratione horum cultuum apud diversas gentes, de quibus locutus sum ut Graecorum cultibus priscis lucem afferrent: nunc, illis pertractatis, videamus, quid scriptores ceteraque monumenta Graeca nos de hisce doceant.

LIBER II.

Scriptorum et monumentorum de superstitionibus quae non sunt anthropomorphicae apud Graecos testimonia.

---

§ 1. Scriptorum igitur et monumentorum de priscis hisce superstitionibus quam potero accuratissime colligam. Describam locos scriptorum; ubi tamen plures variorum scriptorum loci idem fere exhibent, omnes quidem citabo, describam tantum locupletiores, adiungam tamen si quid ceteri habent quod illis deest. Pausaniam citabo numeris quos editio Teubneriana iuxta textum posuit, Didotiana in ipsum textum recepit. Libros quos frequentius citabo brevius indicabo et quidem litteris, nomine, brevi voce, quas in sequente tabula integris titulis proposui.

K. M.	Overbeck, Kunstmythologie.
Overbeck.	Overbeck, Das Cultusobject bei den Griechen in seinen ältesten Gestaltungen, Berichte der Königl. Sächs. Ges. d. W. 1864, pp. 121—172, 239—264.
Bötticher.	Bötticher, Ueber den Baumkultus der Hellenen und Römer.

M. L.	Roscher, Mythol. Lexikon.
Wide.	S. Wide, Lakonische Kulte.
Immerwahr.	W. Immerwahr, Die Kulte und Mythen Arkadiens.
Cook.	A. B. Cook, Animal Worship in the Mycenaean age, Journal of Hellenic Studies XIV (1894) p. 81—169.
Gerhard.	Gerhard, Ges. Akad. Abhandlungen.
Mi.	Mionnet, Description des médailles antiques grecques et romaines.
Mi. S.	Mionnet, Supplément.
Eckhel.	Eckhel, Doctrina numorum veterum.
Cohen.	Cohen, Description historique des monnaies frappées sous l'empire romain.
B. M.	Catal. Brit. Museum.
Head.	Head, Historia Numorum. 1887.
Head-Svor.	Head-Svoronos, *Ἱστορία τῶν νομισμάτων*. 1898.
Bab.	Babelon, Rois de Syrie, d'Arménie et de Commagène. 1890.
Bab. Cypre.	Babelon, Les Perses, Achéménides; Cypre et Phénicie.
Hunt. Coll. I.	Catalogue of Greek coins in the Hunterian Collection, vol. I (Italy, Sicily, Macedon, Thrace, and Thessaly) by George Macdonald.
Schlosser.	Beschreibung der Altgriechischen Münzen I (Thess., Illyr., Dalm., und die Inseln des Adriat. Meeres, Epeiros, von Julius von Schlosser.
Tier u. Pflb.	Imhoof-Blumer und Otto Keller, Tier- und Pflanzenbilder auf Münzen und Gemmen des Klass. Altertums.

N. C.	Imhoof-Blumer and Percy Gardner, A numismatic commentary on Pausanias.
Mon. gr.	Imhoof-Blumer, Monnaies grecques.
Types.	Gardner, Types of greek coins.
Ant. M.	Beschreibung der Antiken Münzen (Königl. Mus. zu Berlin).
Z. f. N.	Zeitschrift für Numismatik.
Num. Chron.	Numismatic Chronicle.
Pick.	Die Antiken Münzen von Dacien und Moesien, von Behrendt Pick (Die Antiken Münzen Nord-Griechenlands, unter Leitung von F. Imhoof-Blumer, I).
Chab.	Catalogue Général des camées et pierres gravées de la bibliothèque impériale, par M. Chabouillet. Paris 1858.
Furtw.	Furtwängler, Beschreibung der geschnittenen Steinen im Antiquarium.
Furtw. A. G.	Furtwängler, Die antiken Gemmen, Geschichte der Steinschneidekunst im klass. Altertum.
Winckelm.	Winckelmann, Beschreibung der geschnittenen Steine des seligen Baron Stosch.
Tölken.	E. N. Tölken, Erklärendes Verzeichniss der antiken Steine der Königl. Preusz. Gemmensammlung.
Reinach.	S. Reinach, Pierres gravées des collections Malborough, d'Orléans, et des recueils d'Eckhel, Gori, Levecque de Gravelle, Mariette, Millin, Stosch. 1895.
Gori.	Gori, Museum Florentinum.
Mariette.	Mariette, Traité des pierres gravées. 1750.

Raspe.	Raspe, Catalogue raisonné d'une collection générale de pierres gravées antiques et modernes. 1791.
Lippert.	Lippert, Dactyliotheca.
B. M. Gems.	A Catalogue of engraved gems in the Brit. Mus.
King.	King, Antique Gems and Rings.
Cesnola.	Cesnola, Salaminia.
Zahn.	Zahn, Die schönsten Ornamente und merkwürdigsten Gemälde aus Pompeji, Herculanum und Stabiae. 1828.
Helbig.	Helbig, Wandgemälde Campaniens.

A. De lapidum veneratione.

---

§ 2. De lapidum atque stipitum veneratione hisce locis universe agitur:

Xenoph. Mem. I, 1, 14. *Τῶν τε γὰρ μαινομένων τοὺς μὲν οὐδὲ τὰ δεινὰ δεδιέναι, τοὺς δὲ καὶ τὰ μὴ φοβερὰ φοβεῖσθαι· καὶ τοῖς μὲν οὐδ' ἐν ὄχλῳ δοκεῖν αἰσχρὸν εἶναι λέγειν ἢ ποιεῖν ὁτιοῦν, τοῖς δὲ οὐδ' ἐξιτητέον εἰς ἀνθρώπους εἶναι δοκεῖν· καὶ τοὺς μὲν οὔθ' ἱερὸν οὔτε βωμὸν οὔτε ἄλλο τῶν θείων οὐδὲν τιμᾶν, τοὺς δὲ καὶ λίθους καὶ ξύλα τὰ τυχόντα καὶ θηρία σέβεσθαι.*

Theophr. Char. 16. *Καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν, καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας ἀπαλλάττεσθαι.*

Clem. Alex. Strom. VII, 1, 4. *ἄθεος μὲν γὰρ ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεόν, δεισιδαίμων δὲ ὁ δεδιὼς τὰ δαιμόνια, ὁ πάντα θειάζων καὶ ξύλον καὶ λίθον καὶ πνεῦμα ἀνθρώπῳ τε λογικῶς βιοῦντι καταδεδουλωμένος.*

Clem. Alex. Strom. VII, 4, 26. *Οἱ αὐτοὶ δ'οὗτοι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες ἔρια πυρρὰ καὶ ἁλῶν χόνδρους καὶ δᾷδας, σκίλλαν τε καὶ θεῖον δεδίασι πρὸς τῶν γοητῶν καταγοητευθέντες κατά τινας ἀκαθάρτους καθαρμούς.*

Cipporum autem et stipitum erectorum cultus hisce locis universe commemoratur:

Clem. Alex. Protr. IV, 46. *παλαὶ μὲν οὖν οἱ Σκύθαι τὸν*

ἀκινάκην, οἱ Ἄραβες τὸν λίθον, οἱ Πέρσαι τὸν ποταμὸν προσεκύνουν, καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οἱ ἔτι παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων· ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο διὰ τὸ ἀπεξέσθαι τῆς ὕλης.

Clem. Alex. Strom. I, 25, 164. Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις κίονας ἱσταντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ.

I. De lapidibus a Graecis tamquam deorum sedibus adoratis.

a. De saxis rudibus.

§ 3. [1]. Thespiis, in urbe Boeotiae (Ἔρως).

Paus. IX, 27, 1. Θεῶν δὲ οἱ Θεσπιεῖς τιμῶσιν Ἔρωτα μάλιστα ἐξ ἀρχῆς, καὶ σφισιν ἄγαλμα παλαιότατόν ἐστιν ἀργὸς λίθος.

§ 4. [2]. Orchomeni, in urbe Boeotiae (Χάριτες).

Paus. IX, 38, 1. Ὀρχομενίοις δὲ πεποίηται * * καὶ Διονύσου, τὸ δὲ ἀρχαιότατον Χαρίτων ἐστὶν ἱερόν. τὰς μὲν δὴ πέτρας σεβουσί τε μάλιστα, καὶ τῷ Ἐτεοκλεῖ αὐτὰς πεσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ φασίν· τὰ δὲ ἀγάλματα τὰ σὺν κόσμῳ πεποιημένα ἀνετέθη μὲν ἐπ' ἐμοῦ, λίθου δέ ἐστι και ταῦτα.

§ 5. [3]. Hyetti, in pago Boeotiae (Ἡρακλῆς).

Paus. IX, 24, 3. Ἐν Ὑήττῳ δὲ ναός ἐστιν Ἡρακλέους, καὶ ἰάματα εὕρασθαι παρὰ τούτου τοῖς κάμνουσιν ἔστιν, ὄντος οὐχὶ ἀγάλματος σὺν τέχνῃ, λίθου δὲ ἀργοῦ κατὰ τὸ ἀρχαῖον.

§ 6. [4]. Pessinunte, in urbe Phrygiae (Magna Mater). Arnob. adv. gentes VII, 49. Sed et Magna, inquit, Mater accita ex Phrygio Pessinunte iussis consimiliter vatum salutaris populo et magnarum causa laetitiarum fuit.... Si verum

loquuntur historiae neque ullas inserunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygia nihil quid aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inaequalis, et quem omnes hodie ipso illo videmus in signo oris loco positum, indolatum et asperum et simulacro faciem minus expressam simulatione praebentem.

Arnobius adv. gent. VI, 11. Ridetis temporibus priscis.... Pessinuntios silicem pro deum matre coluisse.

Herodianus Hist. I, 11. *Θρησκεύουσι δὲ μάλιστα τὴν θεὸν τήνδε Ῥωμαῖοι ἐξ αἰτίας τοιαύτης, ὡς ἱστορίᾳ παρειλήφαμεν ἧς ἐπιμνησθῆναι ἔδοξε διὰ τὴν παρ' Ἑλλήνων τισὶν ἀγνωσίαν. αὐτὸ μὲν τὸ ἄγαλμα διοπετὲς, ὡς λέγουσιν· οὔτε δὲ τὴν ὕλην, οὔτε τεχνιτῶν ὅστις ἐποίησεν ἐγνωσμένον, οὐδὲ ψαυστὸν χειρὸς ἀνθρωπίνης. τοῦτο δὲ πάλαι μὲν ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθῆναι λόγος εἴς τινα τῆς Φρυγίας χῶρον, Πεσσινοῦς δὲ ὄνομα αὐτῷ, τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ, καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι.*

Livius XXIX, 11. Pergamum ad regem venerunt, is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque iis lapidem, quam matrem deum esse incolae dicebant, tradidit ac deportare Romam iussit. Cf. Liv. XXIX 14.

Prud. Mart. Rom. 206.

Nigellus lapis evehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet.

Cf. August. de Civ. Dei III 12; Tertull. Apol. 25; Lact. II 7.

In nummo Atheniensi (146—86 a. Chr. n.), lapis conoidicus conspicitur, quem Head saxum illud Pessinuntium habet. Head 324, Head-Svor. I 480, B. M. XIII 2, p. 60, 431, Series XC.

Hoc loco alius Magnae Matris lapis, in Ida monte adoratus, commemorandus est:

Claud. de rapt. Pros. I 201.

Hic sedes augusta Deae templique colendi
Religiosa silex, densis quam pinus obumbrat
Frondibus; et nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferi modulantur carmina rami.

Utrum lapis apud antrum Idaeum in Creta cultus huc pertineat (ut M. Mayer, M. L. Kronos II 1524 perhibet), an hinc alienus sit, valde incertum mihi videtur; sed tamen eum hic commemoratum velim:

Porphyr. Vita Pyth. 17. *Κρήτης δ'ἐπιβὰς τοῖς Μόργου μύσταις προσῄει ἑνὸς τῶν 'Ιδαίων Δακτύλων, ὑφ'ὧν καὶ ἐκαθάρθη τῇ κεραυνίᾳ λίθῳ.*

§ 7. [5]. Laodiceae, in urbe Phrygiae(?) (*Ἄρτεμις*).

Ael. Lampr. Heliog. 28. Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianae Laodiceae, ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit.

§ 8. [6]. Apoll. Rhod. II 1172.

εἴσω δὲ μέλας λίθος ἠρήρειστο
ἱερός, ᾧ ποτε πᾶσαι 'Αμαζόνες εὐχετόωντο.

b. De saxis quadrangulis erectis.

Pharis, in urbe Achaiae (triginta dii).

§ 9. Paus. VII 22, 4. *'Εστήκασι δὲ ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμόν· τούτους σέβουσιν οἱ Φαρεῖς ἑκάστῳ θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες. τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι.*

c. DE SAXIS CONOIDICIS RUDIBUS.

§ 10. [1]. Seleuciae, in urbe Syriae *(Ζεὺς Κάσιος)*.

In huiusce urbis nummis saxum conoidicum rude in templo iacens conspicitur, cuius tectum pyramidale quatuor columnis innititur; aquila in tecto sedet. Infra templum legimus: *Ζεὺς Κάσιος*.

Nummus autonomus, cuius pars adversa imaginem *Τύχης*, Seleuciae tutelae, exhibet: B. M. Syria XXXII 9, p. 272, 29 sq.; Mi. V 276, 884. Nummi imperatorii: B. M. XXXIII 3, 4, 7, 8, pp. 274, 275, 277; Mi. V 277 sqq.; Mi. S. VIII 190 sq., 293 sqq.; Eckhel III 325 sq., II 180; K. M. Zeus p. 4; Head 661; Head-Svor. II 378. Cf. B. M. Syria, Introd. LXXI sqq.; M. L. Kasios, Daremb. et Saglio Casius; K. M. 553; Bull. de Corr. hell. 1897, 75 sq.

Alii nummi fulmen, vittis ornatum, in sede iacens, exhibent; epigraphe: *Ζεὺς Κεραύνιος*: B. M. XXXII 10, p. 272, 31; Head 661, Head-Svor. II 378. In Caracallae nummo fulmen supra templi tectum videmus: B. M. XXXIII 6, p. 276, 56. Cf. Appian. Syriac. 58: *Φασὶ δὲ αὐτῷ* (i. e. Seleuco Nicatori) *τὰς Σελευκείας οἰκίζοντι, τὴν μὲν ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ, διοσημίαν ἡγήσασθαι κεραυνοῦ, καὶ διὰ τοῦτο θεὸν αὐτοῖς κεραυνὸν ἔθετο, καὶ θρησκεύουσι καὶ ὑμνοῦσι καὶ νῦν κεραυνόν.* Hesych. s. v. *Κεραύνιος: καὶ Ζεὺς ἐν Σελευκείᾳ.*

§ 11. [2]. Chalcide, in urbe Euboeae *(Ἥρα)*.

In nummo Chalcidensi Septimii Severi imagine signato *Ἥραν* conspicimus in saxo conoidico sedentem; epigraphe *ΗΡΑ*; B. M. Central Greece XXI 12, p. 118, 118; Head 305, Head-Svor. I 456; Eckhel II 324. Hunc lapidem solum quoque in aversa parte nummorum Chalcidensium nonnullorum, imperatoris Romani effigie signatorum,

expressum esse Head affirmat. Imhoof autem, Mon. gr. 223, 63 sq., nummos huiusce urbis commemorat, quorum adversa pars *"Hρας* caput exhibet, aversa lapidem conoidicum in templo distylo iacentem; quos nummos nusquam alibi descriptos inveni. Sed tertium quoque nummorum genus Imhoof eidem oppido ascribit (Mon.gr. 222, 60), quorum in adversa parte delphinus tridentem amplectens conspicitur, in parte aversa lapis conoidicus in templo distylo positus; infra legimus *XAΛ*. Eckhel II 323 nummum autonomum Chalcidis Euboicae sic describit: »Caput Neptuni cum tridente. *XAΛKIΔEΩN*. Templum distylum, intra quod lapis conoidicus;" addit: »Nulla satis probabili ratione Pellerinius numum hunc Chalcidi Syriae tribuit." Mionnet II 306, 55 eodem modo nummum describit, sed in animadversione: »cette médaille, inquit, paraît plutôt appartenir à la Syrie." Quod rectum videtur; in catal. enim Musei Brit. (Syria) idem nummus Chalcidi sub Libano attributus est; Mionnet quoque in Supplemento eiusmodi nummum tamquam ad hanc urbem pertinentem descripsit, neque aliter Head dubitanter iudicavit. Mirum autem est, lapidem, in nummis illis ab Imhoofio Chalcidi Euboicae ascriptis expressum, etiam in templo distylo iacere; quam ob rem haud scio an ii quoque urbi Syriacae attribuendi sint. Utut est, ambabus in urbibus saxum conoidicum venerationem habuisse pro certo statui potest.

§ 12. [3]. Chalcide sub Libano, in urbe Syriae *(Ζεύς)*. Vide supra sub Chalcidis Euboicae nummorum enumeratione.

Primum saeculum ante Chr. n; adversa: *Διός* caput; aversa: templum distylum, in quo lapis conoidicus vittis ornatus. B. M. XXXIII 10, p. 279, 1; Head 655, Head-

Svor. II 368; Mi. S. IV 361, 72, qui, ut etiam Eckhel II 323, caput barbatum *Ποσειδῶνος* imaginem esse putat; de tridente, ab Eckhelio memorato, ceteri iure tacent. In gradibus templi inscriptum est: *ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ*.

§ 13. [4]. Erythris, in urbe Ioniae (*Ἡρακλῆς*).

Nummus autonomus; circiter 200—133 ante Chr. n.; in adversa parte *Ἡρακλέους* iuvenis caput, in aversa lapis conoidicus (?) B. M. Ionia p. 136, 165 sq.

§ 14. [5]. In nummo quodam incerto Alexandri Magni *Δία ἀετοφόρον* in sella sedentem videmus; ante eum lapis conoidicus, supra quem astrum.

Num. Chron. Ser. III, vol. XVII (1897) p. 101, 13, Tab. IV 1; Hunter. Coll. I 305, 89. Post circiter 334 a. Chr. n.

In adversa parte *Ἡρακλέους* caput conspicitur.

§ 15. [6]. Adadis, in urbe Pisidiae.

B. M. Pisidia, Introd. p. CXVIII; Friedländer, Monatsber. d. k. preuss. Akad. 1879, p. 334, nummus Adadorum, Tranquillinae imagine signatus; in aversa parte lapis, supra quem astrum; in nummo eiusdem urbis, Septimii Severi imaginem exhibente, lapis paulo vulgarioris (conoidicae) formae conspicitur.

§ 16. [7]. Synnadis, in urbe Phrygiae (*Ἡρακλῆς*).

Mi. IV 367, 979 sqq. Nummus Synnadorum, quorum in adversa parte *Ἡρακλέους* caput barbatum, in aversa saxum in templo distylo iacens, supra quod astrum.

§ 17. Pleraque saxorum conoidicorum huc allatorum ad

Graecos paulum tantum pertinent; sed quia in nummis, in quibus expressa sunt, deorum Graecorum nomina iis adscripta videmus, aut dii seu herois alicuius Graeci imago in adversa parte conspicitur, prorsus ea negligere mihi minus rectum visum est.

d. De conis, obeliscis, pyramidibus, columnis lapideis.

§ 18. [1]. Paphi, in urbe Cypri. *('Αφροδίτη).*

Tac. Hist. II 2. Atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris, inclitum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, templi situm, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis disserere.... Simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens; et ratio in obscuro.

Maxim. Tyr. Diss. VIII 8. *Παφίοις ἡ μὲν 'Αφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει· τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ, ἡ δὲ ὕλη ἀγνοεῖται.*

Serv. Virg. Aen. I 724. Apud Cyprios Venus in modum umbilici vel, ut quidam volunt, metae colitur.

Philostr. Vit. Apoll. III 58.... *προσπλεῦσαι Κύπρῳ κατὰ τὴν Πάφον, οὗ τὸ τῆς 'Αφροδίτης ἕδος, ὃ συμβολικῶς ἱδρυμένον θαυμάσαι τὸν 'Απολλώνιον.*

Templum *'Αφροδίτης Παφίας* persaepe in Cypriorum nummis conspicitur. In medio templo conum divinum videmus, et utrimque aedis porticus exstructa est, in qua thymiaterium stat; columba in utriusque porticus tecto sedet. Supra mediam aedificii partem astrum in luna dimidia positum conspicitur; ante templum aream semicirculatam sive lacum cernimus. Non dubitandum est

quin hi nummi *'Αφροδίτης Παφίας* templum exhibeant, nam eiusdem architecturae templum in Pergameno nummo expressum est, infra quod scriptum *Παφία* (Mi. II 589, 494). De area cf. Plin. N. H. II 97: »Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit."

Cypriorum nummi hancce imaginem exhibentes omnes imperatorum Romanorum aetate percussi sunt, praeter unum, a Mionnetio descriptum (Mi. S. VII 303, 1), cuius in adversa parte *Διὸς Σαλαμινίου* effigies conspicitur; ceteri omnes imperatoris effigie signati sunt. Bab. Cypre XXI 21 sqq., pp. 116 sqq.; Mi. III 670 sqq.; Mi. S. VII 304—308; Cohen I 163, 784; Head 628, Head-Svor. II 327, tab. *ΛΑ'* 9; Lajard, Culte de Venus tab. X.

Gemmae quoque nonnullae eandem templi imaginem exhibent:

Chab. 218, 1582 sq.; Furtw. XXV 2977, p. 134 = Winckelm. II 554 = Tölken III 409; Cesnola p. 40 fig. 39.

Neque aliter fanum expressum videmus in speculo sculpto pervetusto: Cesnola p. 59 fig. 66. Simulacrum ipsum, non in templo positum, Cesnolae opinione multa sigilla cylindrata Cypri reperta exhibent; quamquam figura in iis expressa cono illi minime similis est. Cesnola XII 2—9; p. 121, 6; p. 122, 8—13; p. 123, 14.

§ 19. [2]. Pergae, in urbe Pamphyliae (*῎Αρτεμις*).

Sunt qui perhibeant (Head 585, Head-Svor. II 259), *'Αρτέμιδος Περγαίας* simulacrum, in nummis Pergae, Poglae, Attaliae, Selgae, Pednelissi expressum, nihil esse nisi conum splendide ornatum; sed rectius mihi simulacrum illud descriptum videtur in Catalogo Musei Britannici (p. 121, 10), et a Gerhardo (Ges. Akad. Abh. p. 561); conus enim est capite instructus, quam ob rem non hoc loco, sed

inter simulacra semi-humana de lapide illo sermo erit. vide § 53.

§ 20. [3]. Tarsi, in urbe Ciliciae *(Ζεύς)*.

In huiusce urbis nummis *Διὸς Δολιχηνοῦ* altare conspicitur, praepostere Sardanapali monumentum vocatum. In basi coronis ornata sub tecto triangulo mira quaedam machina quadrupes stat, super qua deum quatuor alis instructum videmus, arcum et pharetram in humeris gestantem; utrimque machinae conus positus est.
Antioch. VIII (125—96): Bab. XXV 5, p. 185, 1424 sqq. Antioch. IX (96—95): Bab. XXVI 12, p. 193, 1482; Gerhard LIX 15, p. 564. Cf. Bab. Introd. p. CLVI sqq.; F. Hettner, De Iove Dolicheno (1877); M. L. II 1501.

§ 21. [4]. Malli, in urbe Ciliciae *(Ζεύς?)*.

Nummi, in hoc oppido percussi, nonnumquam in adversa parte feminam alatam currentem exhibent, in adversa parte lapidem quadratum (Head 605, Head-Svor. II 294; Mon. gr. G. 1, p. 356, 26; 520—485 a. Chr. n.), aut conoidicum (Head l. l., Head-Svor. l. l.; Mon. gr. G. 2, p. 356, 27; 520—485 a. Chr. n.), aut pyramidalem (Head l. l., Head-Svor. l. l.; Mon. gr. G. 4, p. 357, 30 et 33), de cuius significatione viri docti valde dissentiunt. Interdum utrimque lapidis racemum aut columbam videmus. Panofka (Antikenkranz zum 5 Berl. Winckelm. progr. pp. 7 sq.) saxum *Δία Μειλίχιον* repraesentare putat; Imhoof contra (Ann. de Num. 1883 p. 89) ad *Ἀστάρτης* cultum id pertinere opinatur, cui sententiae Head (p. 606) favere videtur; Svoronos (Z. f. N. 1888 p. 225; Bull. de corr. hell. 18, 107) lapidem a Krono devoratum Malli incolis venerationi fuisse existimat. Quod mihi minime probabile videtur;

utrum autem Panofka an Imhoof an neuter rectum viderit, decernere non ausim. Cf. Höfer, M. L. II 2563; Z. f. N. 1888, 219—232, tab. X 1—11; Bull. de corr. hell. 1894, 107; Gerhard 563, LIX 13 sq.; Mi. S. VII tab. 8, 4; Luynes, Choix XI 1; E. Curtius, Ueber Wappengebrauch und Wappenstil im griech Alterth. p. 111 fig. 1.

§ 22. [5]. De *Ἀπόλλωνος ἀγυιέως* obeliscis.

Schol. in Arist. Vesp. 875. *πρὸ τῶν θυρῶν ἔθος εἶχον κίονας εἰς ὀξὺ λήγοντας ὡς ὀβελίσκους ἱδρύειν εἰς τίμην Ἀπόλλωνος ἀγυιέως.*

Harpocration s v. *Ἀγυιᾶς* = Bekker Anecd. p. 331 sub eadem voce.... *ἀγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν, ἰδίους δὲ αὐτούς φασιν εἶναι Ἡλίου, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν.*

Helladios in Photii Bibl. cod. 279 ed. Bekker p. 535. *τὸν Λοξίαν γὰρ προσεκύνουν, ὃν πρὸ τῶν θυρῶν ἕκαστος ἱδρύοντο, καὶ πάλιν βωμὸν παρ' αὐτῷ στρογγύλον ποιοῦντες, καὶ μυρρίναις στέφοντες ἵσταντο οἱ παριόντες. τὸν δὲ βωμὸν ἐκεῖνον ἀγυιὰν Λοξίαν ἐκάλουν, τὴν τοῦ παρ' αὐτοῖς θεοῦ προσηγορίαν νέμοντες τῷ βωμῷ· τὸ δὲ κνισᾶν ἀγυιὰς παρὰ Ἡσιόδῳ τοῖς θεοῖς θύειν λέγειν.*

Hesychius s.v. *Ἀγυιεύς· ὁ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστὼς βωμὸς ἐν σχήματι κίονος.*

Suidas s.v. *Ἀγυιαί.... ἀγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. ἰδίους δέ φασιν αὐτοὺς εἶναι Ἀπόλλωνος· οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν.... εἶεν δ'ἂν οἱ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς λεγόμενοι ἀγυιεῖς οἱ πρὸ τῶν οἰκιῶν βωμοί· ὡς Σοφοκλῆς μετάγων τὰ Ἀθηναίων ἔθη εἰς Τροίαν φησί·*

Λάμπει δ'ἀγυιεὺς βωμὸς ἀτμίζων πυρὶ
σμύρνης σταλαγμούς, βαρβάρους εὐοσμίας.

καὶ ἀγυιεὺς ὁ πρὸ τῶν αὐλείων θυρῶν κωνοειδὴς κίων, ἱερὸς Ἀπόλλωνος· καὶ αὐτὸς θεός. Φερεκράτης Κραπατάλοις·

Ὦ δέσποτ' Ἀγυιεῦ, ταῦτα σὺ μέμνησό μου.

Ἀγυιάν, τὸν στενωπόν, Ξενοφῶν.

Photius s.v. *Λοξίας· εἰώθασι τὸν πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυμένον βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος Λοξίαν καὶ Ἀπόλλω προσαγορεύειν καὶ Ἀγυιᾶ.*

Schol. in Eurip. Phoen. 631. *Ἀγυιεῦ· ἐν τοῖς προπυλαίοις καὶ οἰκήμασιν ἱδρυμένε, ὅτι τὸν Ἀγυιέα πρὸ πυλῶν ἵστασαν, κίων δὲ οὗτος ἦν εἰς ὀξὺ λήγων.*

Eustath. ad Il. B. 12. *Ἀγυιὰ γὰρ ἡ κοινῶς λεγομένη ῥύμη, ἀφ' ἧς καὶ Ἀγυιεύς, κίων ἱερὸς Ἀπόλλωνος πρὸ θυρῶν ἑστώς, λήγων εἰς ὀξύ. Ἔφη δέ τις Ἀγυιάτιδας θεραπαίνας, τοὺς πρὸ θυρῶν βωμούς, οἳ πρὸς χάριν Ἀγυιέως Ἀπόλλωνος ἵδρυντο.*

Macrob. Saturn. I 9, 6. Etenim, sicut Nigidius quoque refert, apud Graecos Apollo colitur qui *Θυραῖος* vocatur; eiusque aras ante fores suas celebrant ipsum exitus et introitus demonstrantes potentem. Idem Apollo apud illos et *Ἀγυιεὺς* nuncupatur; quasi viis praepositus urbanis, illi enim vias, quae intra pomoeria sunt, *ἀγυιὰς* appellant.

Pollux Onom. IV 123. *ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς ὁ πρὸ τῶν θυρῶν.*

Cf. C. I. A. III 159: *Ἀπόλλωνι Ἀγυιεῖ τὸν βωμὸν οἱ πυλωροὶ Αι....*; C. I. A. III 177; C. I. G. 2661.

§ 23. Locis igitur hisce commemorantur et ara et simulacrum. Iam quaestio est utrum hae res eaedem sint an altera ab altera sit distinguenda. Hoc opinatur Wieseler (Ann. d. I. 1858, 222 sqq.), illud Overbeck (p. 158). Equidem non bene intelligo, quomodo tus in cono poni potuerit, ut in honorem dei cremaretur; nec tamen credo et simulacrum et aram, ambo *Ἀγυιέα* nuncupata, ante ianuas stetisse. Fortasse obeliscus supreme bulla quadam (Knopf) planam superficiem habente instructus erat, ut Orici

nummi et gemma, apud Boetticherum (fig. 53 e) expressa, eum exhibent; in gemma illa vasculum ei impositum videmus. *Ἀφροδίτης Παφίας* simulacrum quoque non in aciem exiisse nummi et gemmae ostendunt, descriptionesque scriptorum, e quibus alius deam umbilico vel meta, alius cono, alius pyramide repraesentatam esse perhibet, ipsa ea dissensione sese fide indignas esse indicant. Ambraciotarum quidem in nummis conus conspicitur, sed basi latae impositus; quae basis fortasse pro ara erat. Utut est, id mihi certum videtur, altare illud et simulacrum, de quibus lexicographi et scholiastae loquantur, unum atque eundem obeliscum fuisse.

§ 24. Ambraciae, urbis Epiri, nummi autonomi *(Ἀπόλλων)*.

Circiter 432—342 a. Chr. n.; in adversa parte Pegasus, in aversa *Ἀθηνᾶς* caput, et obeliscus taeniis ornatus: B. M. Corinth XXIX 6, p. 109, 50; Schlosser, p. 75, 13; p. 75, 20; Overbeck K. M. Apollon, Münzt. I, 1.

Circiter 238—168 a. Chr. n.; adversa: *Διώνης* caput; aversa: obeliscus, nunc taeniis ornatus, nunc sine ornamentis; nonnumquam ramus laureus ei affixus est: B. M. Thess. to Aetol. XVIII 1 et 2; XXXII 3; p. 94, 1—10; Schlosser 76, 28; 77, 37—42; Mi. II 50, 33—35; III 366, 57; S. III, 365, 52; 366, 55; Overbeck K. M. Apollon Münztafel I, 2 et 3; Head 270, fig. 181, Head-Svor. I 401, tab. IE', 2; Eckhel II 161.

§ 25. Nummi autonomi Orici, urbis Epiri *(Ἀπόλλων)*. 230—168 a. Chr. n. *Ἀπόλλωνος* caput; aversa: Obeliscus basi impositus, taeniaque ornatus. B. M. Thess. to Aetolia XXXI 13, 79, 1—4; Schlosser, tab. V 9, p. 65, 1 sq.; Head 266, Head-Svor. I 395; Eckhel II 167; Mi. II 60, 103.

§ 26. Nummi autonomi et imperatorii Apolloniae, urbis Illyriae (*Ἀπόλλων*).

400–350 a. Chr. n. adv.: av.: obeliscus; epigraphe: *Ἀπόλλωνος*. Mi II. 31, 41; B. M. Thess. etc. XII 1 sq., p. 56, 2; Head-Svor. I 392.

229—100 a. Chr. n. adv.: *Ἀπόλλωνος* caput; av.: obeliscus. Mi. II 32, 44—47; Mi. S. III 320, 54—56; B. M. XIII, 1, p. 61, 74; Head-Svor. I 393.

100 — Aug.: adv. *Ἀθηνᾶς* caput; av. obeliscus. B. M. XII 15, p. 61, 72; Schlosser I 34, 100—109; Head 265, Head-Svor. I 393.

Aug. — Elagabalus. Head 265, Head-Svor. I 393.

Nummus autonomus Illyricus.

250—229 a. Chr. n.: adv. *Ἡρακλέους* caput; av. obeliscus. B. M. Corinth. 103, 39.

§ 27. [6]. Megaris, in urbe Megaridis. (*Ἀπόλλωνος* obeliscus).

Paus. I, 44, 2. *Ἔστι δὲ ἐν τῷ γυμνασίῳ τῷ ἀρχαίῳ πλησίον πυλῶν καλουμένων Νυμφάδων λίθος παρεχόμενος πυραμίδος σχῆμα οὐ μεγάλης· τοῦτον Ἀπόλλωνα ὀνομάζουσι Καρινόν.*

Nummi autonomi nonnulli huiusce urbis in adversa parte proram navis exhibent, in aversa obeliscum inter duo delphinos positum, quem *Ἀπόλλωνα Καρινόν* repraesentare veri est simillimum; Pausanias quidem de pyramide loquitur, sed eiusmodi descriptiones non ad verbum accipiendas esse supra iam vidimus; quam ob rem Overbeckio (K. M. Apollo pp. 3 sqq.) assentior addubitanti num re vera pyramis illa, a Pausania commemorata, nihil aliud sit nisi obeliscus in nummis expressus.

400—338 a. Chr. n.: adv. *Ἀπόλλωνος* caput, av. obeliscus

inter duo delphinos. B. M. Attica 121, 35; Mi. II, 142, 325. Obeliscus vitta ornatus: B. M. XXI, 13, p. 121, 36.

307—243 a. Chr. n.: Adv. prora, av. obeliscus inter duos delphinos. Mi. S. III 587, 369; N. C., A. 8, p. 6, 7; Head 330; Head-Svor. I.489.

§ 28. [7]. Byzantii. (*Ἀπόλλωνος* obeliscus).

In nummis nonnullis Byzantinis obeliscus conspicitur, basi rotundae impositus; adversa pars *Ἀπόλλωνος* caput exhibet. Quos nummos post 227 a. Chr. n. percussos esse viri docti affirmant. B. M. Thrace p. 96, 37; Hunt. Coll. I p. 394, 8; *Ἐφ. ἀρχ.* 1889, 1, 1; Mi. S. II 241, 216; Mi. I 377, 93; Overbeck K. M. Apollon pp. 3 sqq.

Overbeck addubitat, num obeliscus *Ἀπόλλωνα* repraesentet; Svoronos (*Ἐφ. ἀρχ.* p. 92) *ἐπὶ τῆς κορυφῆς,* inquit, *σχῆμα παρεμφερὲς με τὸ ἡμιτόμον ᾠοῦ,* et Hesychii Milesii verba affert (Fr. Hist. Gr. IV, p. 153) *ἔνθα καὶ νῦν οἱ καμπτῆρες δηλοῦσι τὰ τῶν ἐφόρων γνωρίσματα διὰ τῶν ἐπικειμένων ᾠῶν τοῖς χαλκοῖς ὀβελίσκοις;* quam ob rem obeliscum in nummis expressum nihil esse nisi alteram metarum circensium putat. Attamen mirum mihi videtur, nummum alteram tantum metam exhibere; praeterea tripodem in area videmus, quem Svoronos in certaminis praemiorum numero fuisse existimat, et *Ἀπόλλωνα* gymnasiorum patroni munere functum esse, ideoque in nummorum adversa parte conspici perhibet. Quae omnia valde dubia sunt, praesertim quia mea quidem sententia minime pro certo statui potest, id quod super obelisco in nummis expressum videmus re vera ovum esse. Equidem multo potius *Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως* et *Καρίνου* obeliscos huc afferre malim, quibus collatis Byzanti quoque obeliscum *Ἀπόλλωνα* repraesentasse veri simillimum mihi videtur.

§ 29. [8]. Delphis (Ἀπόλλωνος cippus).

Clem. Alex. Strom. I, 164.... *ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν Εὐρωπίαν ποιήσας ἱστορεῖ τὸ ἐν Δελφοῖς ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κίονα εἶναι διὰ τῶνδε·*

ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν
σταθμῶν ἐκ ζαθέων καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

Bötticher (227) hancce columnam in stipitum numero habet; quod num rectum sit Overbeck (153) addubitat. Equidem ceteris *Ἀπόλλωνος* obeliscis comparatis hunc quoque lapideum fuisse coniicio; sed nihil in hac re pro certo statui potest, quin etiam incertum est, utrum Clemens poetae veteris verba recte interpretatus sit an celsa illa columna nihil ad dei simulacrum pertineat.

§ 30. [9]. Argis (*Ἥρας* cippus).

Clem. Alex. Strom. I, 164. *Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. γράφει γοῦν ὁ τὴν Φορωνίδα ποιήσας·*

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης,
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Hunc quoque cippum Bötticher ligneum fuisse putat; sed nihil de hac re decerni posse nemo non videt.

§ 31. [10]. Thebis (*Διονύσου στῦλος*).

Clem. Alex. Strom. I, 163. *λέγεται καὶ ἐν χρησμῷ τινι·*

στῦλος Θηβαίοισι Διώνυσος πολύγηθής.

ἐκ τῆς παρ' Ἑβραίοις ἱστορίας. ἀλλὰ καὶ Εὐριπίδης ἐν Ἀντιόπῃ φησίν·

ἔνδον δὲ θαλάμοις βουκόλου
κομῶντα κισσῷ στῦλον Εὐίου θεοῦ.

σημαίνει δὲ ὁ στῦλος τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ θεοῦ, ὁ δὲ πεφωτισμένος στῦλος πρὸς τὸ ἀνεικόνιστον σημαίνειν δηλοῖ τὸ ἑστὸς καὶ μόνιμον τοῦ θεοῦ καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς καὶ ἀσχημάτιστον.

Hic potius de cippo ligneo quam lapideo sermonem fieri existimo, quam ob rem eum etiam inter stipites enumerabo. Etenim pali, capite et vestibus ornati transitumque ad idololatriam formantes, *Διόνυσον* repraesentant; stipites igitur eius *ἕδη* fuisse constat, et hancce columnam in eorum numero habendam esse veri simile mihi videtur.

§ 32. [11]. Sicyone (*Διὸς Μειλιχίου* pyramis, et *'Αρτέμιδος Πατρῴας* cippus).

Paus. II, 9, 6. *Μετὰ δὲ τὸ 'Αράτου ἡρῷον ἔστι μὲν Ποσειδῶνι 'Ισθμίῳ βωμός, ἔστι δὲ Ζεὺς Μειλίχιος καὶ Ἄρτεμις ὀνομαζομένη Πατρῴα, σὺν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμιᾷ· πυραμίδι δὲ ὁ Μειλίχιος, ἡ δὲ κίονί ἐστιν εἰκασμένη.*

§ 33. [12]. In Lycaeo, in monte Arcadiae (*Διὸς Λυκαίου κίονες*).

Paus. VIII, 38, 7. *Ἔστι δὲ ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῇ ἀνωτάτω τοῦ ὄρους γῆς χῶμα, Διὸς τοῦ Λυκαίου βωμός, καὶ ἡ Πελοπόννησος τὰ πολλά ἐστιν ἀπ' αὐτοῦ σύνοπτος· πρὸ δὲ τοῦ βωμοῦ κίονες δύο ὡς ἐπὶ ἀνίσχοντα ἑστήκασιν ἥλιον, ἀετοὶ δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίχρυσοι τά γε ἔτι παλαιότερα ἐπεποίηντο. ἐπὶ τούτου τοῦ βωμοῦ τῷ Λυκαίῳ Διὶ θύουσιν ἐν ἀπορρήτῳ· πολυπραγμονῆσαι δὲ οὔ μοι τὰ ἐς τὴν θυσίαν ἡδὺ ἦν, ἐχέτω δὲ ὡς ἔχει καὶ ὡς ἔσχεν ἐξ ἀρχῆς.*

Quamvis Pausanias non disertis verbis dicat, cippos illos ante aram positos pro dei simulacris fuisse, magna tamen cum probabilitate coniicere possumus, rem sese ita habuisse. Quid enim, quaeso, aliud columnae illae significare potuerunt nisi *Διὸς ἕδη*, ante cuius aram stabant? Quod quominus opinemur duplex earum numerus non obstat, nam etiam alibi duo cippi unum deum repraesentabant, velut Tyri, ubi duae *στῆλαι*, Herodoto (II 44) et Philone Byblio (Fr. H. Gr. III 568) testibus, pro Melkartio deo adorabantur.

§ 34. [13]. Cyzici (*Χαρίτων* columna triplex).
Anthol. Pal. VI 342.

Ἄθρησον Χαρίτων ὑπὸ παστάδι τῇδε τριήρη
στηλίδα τᾶς πρώτας τοῦθ' ὑπόδειγμα τέχνας·
ταύτην γὰρ πρώταν ποτ' ἐμήσατο Παλλὰς Ἀθήνη,
τάνδε πόλει στάλαν ἀντιδιδοῦσα χάριν.
Τοὔνεκεν ὑψίστᾳ Τριτωνίδι νηὸν ἔτευξεν
Κύζικος ἅδ', ἱρᾷ πρῶτον ἐν Ἀσιάδι·
δεῖγμά τε καὶ πλίνθων χρυσήλατον ἤγαγεν ἄχθος
Δελφίδα γᾶν Φοίβῳ τάνδ' ἐνεποῦσα χάριν.

In textu tradito legimus haecce verba absurda: *Ἄθρησον Χαρίτων ὑπὸ παστάδι τῇδε τριήρους στυλίδος τὰς πρώτας τοῦθ' ὑπόδειγμα τέχνας.* Quae Buttmannus correxit in *τριήρη στηλίδα τᾶς*, triplicem columnam interpretatus, triadis *Χαρίτων* symbolum. Jacobsio obscurum videtur, de quanam arte agatur; equidem puto, si Buttmanni coniectura recta sit, de arte rudi, imaginem humanam nondum exprimente, sermonem fieri. Attamen pro certo statuere, lectionem a Buttmanno prorsus sanatam esse, non ausim; quam ob rem non nisi dubitanter hanc columnam triplicem hoc loco commemoravi.

§ 35. [14]. Spartae (planetarum columnae).

Paus. III, 20, 9. *κίονες δὲ ἑπτά* <*εἰσιν*> *οἳ τοῦ μνήματος τούτου διέχουσιν οὐ πολύ, κατὰ τρόπον οἶμαι τὸν ἀρχαῖον, οὓς ἀστέρων τῶν πλανητῶν φασὶν ἀγάλματα.*

Schubartii opinione vox *οἳ* in textu retinenda est; idem post *πολὺ* lacunam indicat; quod mihi non necessarium videtur, si ante vocem *οἳ* vocem *εἰσιν* inserimus. Concedo sermonem sic satis abruptum esse, sed nemo, opinor, Pausaniam facultate Ciceroniana donatum fuisse perhibuerit, permultaque stili non minus abrupti exempla ex eius libro afferri possunt. Quod ad argumentum attinet, astra pro diis venerationem habuisse satis notum est, quam ob rem non est dubitandum, quin *ἀγάλματα* illa planetarum adorata sint tamquam *ἕδη*.

§ 36. [15]. Uranopoli, in urbe Chalcidices (*Ἀφροδίτης* pyramis).

Huiusce urbis nummi, Cassandri aetate cusi, in adv. parte solem radiatum exhibent, in av. parte *Ἀφροδίτην Οὐρανίαν* in globo sedentem, sceptrumque vittatum tenentem; in area lapis pyramidalis conspicitur, supra quem astrum videmus. B. M. Macedon. 133, 1; Mon. gr. 96, 136 sq. Aliis in nummis lapidem pyramidalem in deae capite positum conspicimus; ceteroquin illis similes sunt. Mi. S. III 174, 1125 sq., qui lapidem apicem habet; Zeitschr. f. Num. V p. 2, tab. I, 2; Friedländer, Königl. Münzkabinet 1877, 337; Mon. gr. p. 96, 135 sq.; Gardner, Types of Greek coins, p. 189; Ant. Münz. II p. 162, 1, tab. VI 56.

§ 37. [16]. De *Ἀρτέμιδος* et *Ἀπόλλωνος* columnis.

In gemma quadam *Ἀρτέμιδος Λοχίας* imago conspicitur

inter duas columnas; adscriptum est: *ΛΟΧΙΑ*; alter cippus ramo laureo ornatus est, alter vitta, quam ob rem eos *Ἀρτέμιδα* et *Ἀπόλλωνα* repraesentare veri simile est. Millin Gal. myth. XXIV, 119; Bötticher fig. 53 e, p. 78.

Welcker (G. G. I 221) loquitur de nummis quibusdam Illyrici, urbis Epiri, quos *Ἀρτέμιδος* et *Ἀπόλλωνος* cippos exhibere dicit, Eckhelium auctorem laudans; Overbeck Welckerium sequitur [1]). Equidem neque in Eckhelii libro loco laudato (VII 9) neque alibi quemquam eiusmodi nummum commemoratum inveni, immo vero vehementer dubito num urbs illa umquam exstiterit.

Nummi quoque in insula Ceo cusi *Διός* et *Ἥρας* pyramidas exhibentes, quos Quatremère de Quincy (Jup. Olymp. 11), Welcker, Overbeck afferunt, optimo iure a M. Mayero (M. L. II 1523) reiecti sunt; neque aliter de Apterae, urbis Cretae, nummis iudicandum est, in quibus C. O. Müller (Dorier I 302, 4) *Ἀπόλλωνος ἀγυιέως* obeliscum conspici perhibet; quem errorem, ab Overbeckio (158) et Darembergio et Saglione (413) ascitum, ortum esse puto e face agonistica male interpretata, quam Apterae nummi nonnumquam exhibent. Cf. Head 387, Head-Svor. I 581.

§ 38. [17]. De *Ἀρτέμιδος* obeliscis.

a. In basi marmorea Hellenistica, in Vaticani museo servata, conus sive obeliscus basi impositus conspicitur, ad quem cornua cervina et frondes miro quodam modo consertae taeniis alligatae sunt. Boetticheri (537, cf. 69 sq.) et Overbeckii (159) opinione *Ἄρτεμις* eo modo repraesentatur; quod rectum videtur, nam saepius tales exuvias a

---

1) Etiam in Daremb. et Sagl. Voc. s. v. Argoi Lithoi, p. 413, iidem nummi commenticii commemorantur.

venatoribus Ἀρτέμιδι dedicatas esse Plutarchus [1]), Virgilius [2]), Philostratus [3]) testantur. Praeterea ne dubitemus, quin Bötticher rectum viderit, aliud baseos latus vetat, quod arborem arcu, pharetra, venabulo ornatam deaeque igitur certo certius sacram exhibet (Bötticher fig. 9). Gerhard Ant. Bildw. tab. 83; Bötticher fig. 10; Daremberg et Saglio p. 413 fig. 499.

b) In anaglypho quodam Hellenistico obeliscum eiusdem formae sacelli muro impositum videmus, ad quem duae faces taenia alligatae sunt. Ἀρτέμιδος simulacrum, damam humeris gestantis, ante sacellum conspicitur; obeliscus igitur eandem deam repraesentare videtur. Gerhard Ant. Bildw. tab. 42; Bötticher fig. 26.

c) Eiusmodi conus etiam in picturis nonnullis parietinis Pompeianis conspicitur, velut Ann. d. I. 1875 tab. K. L. 2, ubi in sacello collocatus capitibusque cervinis et ursinis ornatus est, quod ad Ἄρτεμιν eum pertinere ostendit; et Röm. Mitth. V p. 265, ubi arborem sacram, columnam celsam [4]), duos conos videmus. Vide porro Arch. Zeit. 1858 tab. 118, 1; Mon. d. I. II tab. 27 (ubi vannus mystica Διονύσου venerationem significat); Bartoli-Bellori, Pitture antiche tab. 10; Visconti, Mus. Pio-Clem. t. V tab. 45 (ubi ramus laureus et lyra Ἀπόλλωνος cultum indicant). Cf. Schreiber, Due pitture del Palatino, Ann. d. I. 1875, pp. 210 sqq.

---

[1]) Plut. Qu. Rom. 4. Διὰ τί τοῖς ἄλλοις Ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα προσπατταλεύουσι, τῷ δὲ ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν;

[2]) Virg. Eclog. VII 29:

Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.

[3]) Philostr. Imag. I 28.

[4]) Columna illa superne corona dentata ornata est, quam Ἀρτέμιδι propriam esse multae picturae parietinae probant. Cf. Helbig 67, 234 sqq.; 73, 256; 71, 253.

§ 39. [18]. De columnis in picturis parietinis et gemmis expressis.

In picturis parietinis Pompeianis et in gemmis Graeco-Romanis frequenter columnae excelsae expressae sunt, quae quoquomodo ad cultum deorum pertinere videntur, sed quales partes in eo egerint saepius difficile est statuere, praesertim si, ut saepe, arbori suppositae sunt; tum enim decernere non possumus, utrum arbor adorata sit an columna an ambae. Bötticher (46 sq.) et Overbeck (136) hancce difficultatem iam indicaverunt. Nunc arborem, nunc columnam taeniis vel aliis ornamentis instructam videmus; nonnumquam vasculum columnae impositum est. Nec tamen semper arbor et columna altera iuxta alteram conspiciuntur; saepius enim columna ramo aut face ornata nulli arbori supposita est, saepius quoque arbor sacra columnae societate caret; quod suspicionem movet eas, ubi altera iuxta alteram reperiantur, ambas sanctas esse.

a) Arbor et columna: in picturis parietinis: Bötticher fig. 12 *(Διονύσου)*, Bött. fig. 35, Mus. Borb. XI tab. 15, Zahn II 54 (pavo *Ἥρας* cultum indicat); Bött. fig. 34, Mus. Borb. XIII tab. 8, Zahn II 54 (columna *Ἀθηνᾶς* galea, scuto, hasta instructa est; sed fortasse potius in palorum ligneorum numero habenda est, vide § 100): Bött. fig. 40, Roux Pompej. Ser. 5 tab. 4 (simulacrum parvum columnae vittatae impositum est); Zahn I 23; II 34; II 60; III 54; Ann. d. I. 1875 tab. K. L. 1; Helbig 1555; 1326.

In gemmis: Reinach tab. 58, 43 = Gori II 43, 1; Reinach tab. 87, 56 = Mariette I 56; King II p. 64, 5, tab. XLI 5; Raspe I 4810; Gori II tab. 74; Mus. Hagense, De Jonge VII 3; Lippert I 339; 982; 983.

Cf. anaglyphum Bött. fig. 23; cantharos quosdam,

Chabouillet 434, 2807; 435, 2808; 438, 2809 (diotae columnis impositae sunt).

b) Columna ramo ornata: Zahn III 36; in gemmis: Reinach tab. 84, 28 = Mariette I 28, Chabouillet 1601, Raspe 2326; Lippert I 618; 938; Suppl. 243.

c) Columna ramo et face, in crucis speciem ad eam alligatis, ornata: Reinach tab. 84, 32 = Mariette I 32; Lippert I 382; duabus facibus: Bött. fig. 26.

d) Columna supra quam astrum: B. M. p. 211, 2115; columna cui *οἰνοχόη* imposita est: B. M. 191, 1804; Lippert Suppl. 539; persona columnae imposita: Furtwängler tab. 55, 7412, p. 275; tab. 55, 7419, p. 275; Gori II 85, 3; ara et cippus: Raspe I 4163[1]).

II. De lapidibus a Graecis veneratione dignatis, non amplius quia deorum sedes essent, sed tantum quia quodammodo ad deos sive heroes pertinerent.

§ 40. [1]. Delphis (lapis a Krono devoratus).

Paus. X 24, 5. *Ἐπαναβάντι δὲ ἀπὸ τοῦ μνήματος λίθος ἐστὶν οὐ μέγας· τούτου καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι τὰ ἀργά· ἔτι δὲ καὶ δόξα ἐς αὐτόν, δοθῆναι Κρόνῳ τὸν λίθον ἀντὶ [τοῦ] παιδός, καὶ ὡς αὖθις ἤμεσεν αὐτὸν ὁ Κρόνος.*

---

[1]) Overbeck (K. M. Zeus p. 5. fig. 1) vasculum quoddam in Italia inferiore factum affert, in quo Oenomaum conspicimus libamen in aram fundentem, pone quam parva columna quadrangula, inscriptione *Διός* ornata, stat. Hancce columnam *Διός* sedem esse putat, quod fortasse verum est, quamvis in vasculis paene numquam tale quid depictum reperiamus; decernere non possumus, utrum insriptio illa ad columnam ipsam an ad aram tantum pertineat.

Hesiod. Theogon. 497.

Πρῶτον δ'ἐξήμησε λίθον, πύματον καταπίνων·
Τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κατὰ χθονὸς εὐρυοδείης
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ γυάλοις ὑπὸ Παρνησοῖο
Σῆμ' ἔμεν ἐξοπίσω, θαῦμα θνητοῖσι βροτοῖσι.

De lapide a Krono devorato etiam hisce locis agitur: Paus. VIII 8, 2; VIII 36, 2; IX 2, 5; IX 41, 3; Tzetz. ad Lycophr. 400. Cf. Schömann, De Jovis incunabulis p. 7, Ges. Schr. II 254; Hermann, Gottesd. Alterth. 18, 13; Overbeck 145 sq.

§ 41. In Etymologico Magno s. v. *Βαίτυλος* (E. M. 193, Zonaras 371) haec legimus: *Βαίτυλος· Λίθος γενόμενος κατὰ τὸν Λίβανον τὸ ὄρος τῆς Ἡλίου πόλεως. Βαίτυλος δὲ ἐκλήθη καὶ ὁ λίθος, ὃν ἀντὶ Διὸς ὁ Κρόνος κατέπιεν. Εἴρηται δὲ, ὅτι ἡ Ῥέα βαίτῃ αἰγὸς σπαργανώσασα τῷ Κρόνῳ δέδωκε· βαίτη δὲ σημαίνει τὴν διφθέραν. Καὶ παρὰ τὸ βαίτη βαίτηλος. Βαίτη· στέγαστρον προβάτειον ἢ αἴγειον*[1]). Hesychius quoque ad hanc vocem refert, *Βαίτυλον* illum lapidem esse, quem Rhea pelle caprina redimitum obvolutumque Krono devorandum dedisset; neque aliter Priscianus[2]) opinatur. Proverbium denique „*κἂν βαίτυλον κατέπιες*"[3]) ad eandem huiusce vocis interpretationem quadrare videtur. Attamen magna inter veteres de hac re dissensio fuit. In Eusebii Praeparatione Evangelica Philo Byblius ex Phoenicum traditione Baetylum quendam memoriae prodidit Urani filium, atque ab Urano excogitata scribit Baetylia sive

---

[1]) Cf. Bekkeri Anecd. I. 224: *Βαίτυλος· λίθος οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς τῷ Κρόνῳ ἀντὶ τοῦ Διὸς, παρὰ τὸ τύλον ὄντα κεκρύφθαι.*

[2]) Priscian. Artis grammaticae lib. V 10: Abaddir deus est: dicitur et hoc nomine lapis, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Graeci *βαίτυλον* vocant.

[3]) Paroemiogr. II 468; Apost. proverb. IX 24.

lapides animatos: *παραλαβὼν ὁ Οὐρανὸς ὁ τοῦ ὑψίστου υἱος τὴν τοῦ πατρὸς ἀρχήν, ἄγεται πρὸς γάμον τὴν ἀδελφὴν Γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς παῖδας τέσσαρας, Ἶλον τὸν καὶ Κρόνον, καὶ Βαίτυλον .... Ἔτι δέ, φησιν, ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος* (Euseb. Praep. Evang. I 10, F. H. G III p. 568). Damascius in vita Isidori Libani montis accolas multa baetylia sive baetulos adorasse refert: *Ὅτι κατὰ τὴν Ἡλιούπολιν τῆς Συρίας εἰς ὄρος τὸ τοῦ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν φησι, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων βαιτυλίων ἢ βαιτύλων* (Phoc. Bibl. 242, ed. Bekker p. 342).

Idem diserte de iis scripsit, narrans Eusebium quendam coluisse et secum gestasse baetylum, Gennaeo deo Heliopolitano addictum, figurae sphericae, diametro dodrantali, coloris subalbidi, rubris litteris inscriptum, ex quarum apparitione, atque e sibilo quod subinde edebat lapis, motuque quo sponte ferebatur, futurorum cognitionem capiebat Eusebius. *Τῶν δὲ βαιτύλων*, inquit, *ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι, ὡς ἐκεῖνος δυσφημῶν λέγει, θεῷ, Κρόνῳ, Διί, Ἡλίῳ, τοῖς ἄλλοις.* (Phoc. Bibl. 242, ed. Bekker p. 348). Plinius de baetylis haec dicit: »Sotacus et alia duo genera fecit cerauniae, nigrae rubentisque ac similes eas esse securibus: ex his, quae nigrae sint et rotundae, sacras esse, urbes per illas expugnari et classes, easque betulos vocari; quae vero longae sint, ceraunias.”

§ 42. Quid mirum, in tali scriptorum antiquorum dissensione viros doctos quoque recentiores diversas vias iniisse? Alii enim omnes Graecorum lapides sacros baetylos sive baetylia vocatos esse perhibent, alii grammaticorum huiusce vocis explicationem accipere lapidique tantum, quem *Κρόνος* devorasse narratur, eam attribuere malunt.

Scaliger[1]), Vossius, Bochartus[2]), permulti alii[3]) recentiores baetyli nomen ab Hebraïca voce Bethel derivandum esse perhibuerunt, frigidamque grammaticorum veterum derivationem prorsus reiecerunt. Jacob enim post somnium, quo angelos de coelo ad terram in scala descendentes conspexerat, lapides, quo dormiens cervicalo usus erat, statuisse et unxisse, eumque bethel, h. e. domum Dei vocasse narratur[4]). Quod in fetissorum sensum re vera optime quadrat, et Jacobi lapidem illum nihil fuisse nisi fetissum ab Hebraeis veteribus eodem modo cultum ac lapides a Graecis ceterisque populis adoratos pro certo statui posse videtur. Scaliger c. s. quidem veterum litholatriam nihil fuisse putabant nisi imitationem superstitiosam eius venerationis, quam lapis a Jacobo pro *monumento* tantum dedicatus habuisset, sed id ad rem non pertinet; quaestio enim dirimenda est, utrum grammaticorum veterum etymologia an Scaligeri accipienda sit. Sunt qui affirmaverint, si Scaliger rectum vidisset, vocem non ***Βαίτυλον*** sed ***Βαίθυλον*** futuram fuisse[5]); quod tamen a multis viris doctis, ambarum linguarum peritissimis, plane refutatur[6]).

---

1) In animadversionibus ad Eusebii Chronicon, ad annum 2150, p. 216.

2) Kanaan II cap. 2, pp. 785 sq. (ed. 1646).

3) J. C. S. Hoelling, De Baetyliis veterum (1724); Zoëga, De usu et origine obeliscorum p. 201; H. Pierson, Baetyliëndienst (1866); Boesigk, De Baetyliis (1854) pp. 2 sqq.; Overbeck p. 146; Lenormant, Les premières civilisations I p. 171; idem, Revue de l'hist. des rel. 1881 III p. 40; E. Meyer, Roscheri M. L. I 1224, 46 sqq. s. v. El; Tümpel, Pauly—Wissowa II p. 278 s. v. Baitylia; etc. etc.

4) Genes. XXVIII 18 sq.

5) Grimmel, De lapidum cultu apud Patriarchos quaesito (1853).

6) Cf. E. Meyer l. l. p. 11224: „Eben so oft dient El dazu einen bestimmten, aber unbekannten Gott zu bezeichnen. So heisst jeder Stein (Fetisch) in dem ein göttliches Wesen haust Betel, Haus Els (Gr. *βαίτυλος* oder *βαιτύλιον*); die Gottheit, die in ihm wohnt, bleibt dabei ganz unbestimmt."

Alii [1]) grammaticorum etymologiam acceperunt, baetylumque nihil aliud significare nisi lapidem caprina pelle obvolutum perhibuerunt. M. Mayer lapidem tantum Delphicum *Βαίτυλον* vocatum esse putat. Quod si rectum est, quomodo lapidibus illis Syriis idem nomen datum sit prorsus non intelligo. »Sonst kommt das Wort, inquit, noch zur Bezeichnung einer besonderen Steingattung vor, die sich namentlich bei Heliopolis finden sollte; es bedarf aber wohl keines Beweises, dass der Mythus sich nichts von der Mineralogie aneignet, sondern die Entlehnung auf seiten der letzteren ist." At non de mineralogia, sed de lapidum sacrorum veneratione minime negligenda hac in re sermo fit, neque video qualia argumenta afferri possint quae Mayeri opinionem probent. Multo igitur potius contrariam viam inire malim, baetylumque vocem Semiticam, a Graeca lingua prorsus alienam, habere, quae non nisi tarde ad Graecos penetraverit. Quod mihi e scriptorum dissensione clare apparere videtur, quippe qui alius hoc, alius illud de iis narrent. Quod autem ad lapidem illum a Krono devoratum attinet, rectissime Tümpel [2]) observavit, veri esse simillimum, Graecos lapides illos Semiticos vestibus obvolutos [3]) ob ipsa ea tegumenta cum Kroni saxo *σπαργανώτῳ* [4]) comparasse, posterosque eorum nomen *βαίτυλον*

---

[1]) Svoronos, Zeitschr. f. Num. 1888 p. 222; M. Mayer, Roscheri M. L. s. Kronos, II 1524.

[2]) Tümpel l. l.

[3]) Cf. Phot. Bibl. 242 (Bekker p. 348, Damasc. in vita Isidori): *εἶδον, φησί, τὸν βαίτυλον διὰ τοῦ ἀέρος κινούμενον, ποτὲ δ'ἐν τοῖς ἱματίοις κρυπτόμενον κ. τ. λ.*, cf. Elagabali lapidem, in Elagabali et Uranii Antonini imperatorum nummis insculptum, multosque alios lapides vestibus obvolutos.

[4]) Cf. lapidem magicum in Orphei *Λιθιακοῖς* (355 sqq., 364, 368—374, 381, 340) memoratum *(δεουείδης πέτρος ἔμψυχος ὀρείτης, σιδηρίτης, ὀστρίτης)*, tamquam infantem lacteum fasciis involutum.

in saxum illud solum quadrare putasse, atque peregrinae vocis veri sensus oblitos frigidam illam derivationem invenisse. Quocirca vocem „βαίτυλος" sive „βαιτύλιον" ad nullum Graecorum lapidem sacrosanctum pertinere puto.

§ 43. [2]. De umbilico Delphico.

Paus. X 16, 3. *τὸν δὲ ὑπὸ Δελφῶν καλούμενον ὀμφαλόν, λίθου πεποιημένον λευκοῦ, τοῦτο εἶναι τὸ ἐν μέσῳ γῆς πάσης αὐτοὶ λέγουσιν οἱ Δελφοί.*

Strab. IX 3, 6. *δείκνυται δὲ καὶ ὀμφαλός τις ἐν τῷ ναῷ τεταινιωμένος καὶ ἐπ' αὐτῷ αἱ δύο εἰκόνες τοῦ μύθου.*

Schol. Lucian. de Saltat. 38. *λέγουσιν ἐν Δελφοῖς ὀμφαλὸν εἶναι ἐπὶ τοῦ ἐδάφους τοῦ νεὼ καὶ περὶ αὐτὸν ἀετοὺς γέγραφθαι ἀπὸ συνθέσεως λίθων, καὶ τοῦτο ἔφασκον τὸ μέσον ἁπάσης τῆς γῆς.*

Schol. ad Pind. Pyth. IV 4. *λόγος τις τοιοῦτος περιηχεῖ, ὅτι ὁ Ζεὺς τὸ μεσαίτατον τῆς οἰκουμένης καταμετρήσασθαι βουληθεὶς ἴσους κατὰ τὸ τάχος ἀετοὺς ἐκ δύσεως καὶ ἀνατολῆς ἀφῆκεν· οἱ δὲ διϊπτάμενοι συνέπεσον ἀλλήλοις κατὰ τὴν Πυθῶνα, ὥστε τὴν σύμπτωσιν ὁρίζειν αὐτόθι τῆς ὅλης οἰκουμένης τὸ μεσαίτατον· ὕστερον δὲ σημεῖον τοῦ γεγονότος καὶ χρυσοῦς ἀετοὺς κατασκευάσας ἀνέθηκε τῷ τοῦ θεοῦ τεμένει.*

Ἄλλως· ὅτι ὑπὸ Διὸς ἀφεθέντες ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς συνέπεσον ἐνταῦθα, καὶ οὕτως ἐγνώσθη τὸ μέσον τῆς γῆς. ὧν εἰκόνες οἱ χρυσοῖ ἀνέκειντο παρὰ τὸν ὀμφαλὸν ἀετοί, ἤρθησαν δὲ ἐν τῷ Φωκικῷ πολέμῳ, ὃν Φιλόμηλος συνεστήσατο.

Hesych. s. *Τοξίου βουνός· καὶ ὁ ὀμφαλὸς τῆς γῆς τάφος ἐστὶ τοῦ Πύθωνος.* Cf. Varr. L. L. VII 69.

Tatian. c. Gr. VIII, 251. *ὁ δὲ ὀμφαλὸς τάφος ἐστὶ Διονύσου.*

Cf. Aesch. Eum. 40, 66; Sophocl. Oed. R. 897; Eur. Ion. 222; Pind. Pyth. IV 4, 131, VI 3, VIII 85, XI 17, Nem. VII 49; Plut. De defect. orac. 1; Schol. Soph. Oed. R. 480; Schol. Eur. Or. 330.

§ 44. Umbilicus in monumentis variis modis expressus est; nunc humilis leviterque curvatus, nunc altus atque conoidicus conspicitur; nunc basi altae impositus est, nunc basi caret. Nonnumquam taeniis ornatum eum videmus, sed plerumque *ἀγρήνῳ*, vesti quadam reti simili, contectus est [1]). Picturae vasculares [2]) et parietinae, nummi eum saepissime exhibent.

In vasculis rubris figuris ornatis [3]): taeniis redimitus: Rochette, Mon. In. 37, Bötticher Omphalos fig. 2; taeniis et lauro velatus: Rochette l. l., Overbeck Gall. heroisch. Bildw. XXIX 7; Élite céram. II 26, K. M. Apollo XXI 16; *ἀγρήνῳ* contectus: Overb. Gall. XXIX, 5, 8, 10, Bötticher fig. 1, Gerhard tab. LX, 1; Müller-Wies. II 13, 148, Gerhard LX, 2; Arch. Zeit. 1858 tab. 120, K. M. Zeus I 33; Compte Rendu 1861, tab. 3; Baumeister Denkm. I p. 104 fig. 110; II p. 1009 fig. 1215.

In picturis parietinis Pompeianis: Helbig 15, 17, 37, 184, 202, 231, 1759; K. M. Apollo XXIII 20, XXV 10 (*ἀγρήνῳ* caret, serpens circum umbilicum volvitur) Röm. Mitth. XI (1896) p. 68.

In anaglyptis: K. M. Ap. XXI 11, Müller—Wieseler I 13, 47 (taeniis ornatus); K. M. Ap. XXIV 14, Bötticher fig. 3 (taeniis redimitus); K. M. Ap. XXI 15 (*ἀγρήνῳ* contectus).

In nummis (paene semper *ἀγρήνῳ* velatus):

a) Umbilicus solus: *Anactorium* (350—300) B. M. Thess.

---

[1]) Cf. Bötticher, Der Omphalos des Zeus zu Delphi; Bab. Introd. pp. XLIII sqq.; Overbeck K. M. Zeus pp. 182 sqq., tab. XXI sqq.; K. M. Apollo pp. 262 sqq.

[2]) Pro „picturis in vasculis depictis" brevitatis causa „picturae vasculares" scribere mihi liceat.

[3]) Pleraque in Italia inferiore facta sunt.

to Aetol. XXXII 6; *Mamertini* (282—210), Hunt. Coll. I 202, 16, Millingen Anc. coins II 13.

b) Umbilicus circum quem volvitur serpens: *Delphi* (circ. 346) Revue Num. 1860, tab. XII 8; (Hadrian.) B. M. Centr. Greece IV 20; *Rhodus* (166—88) B. M. Caria etc. XL 1 et 2; *Pergamum* (133—imp.) B. M. Mysia XXVII 4, Head 463, Head-Svor. II 65; *Pitane* (auton.) Head 464, Head-Svor. II 67; *Tauromenium* (275—210) Hunt. Coll. I tab. XVIII 18.

c) Umbilicus supra quem astrum conspicitur:

Rhodus (166—88) B. M. Car. XL 12.

d) Umbilicus sub tripode collocatus:

Delphi (Hadrian.) Z. f. N. XIII tab. IV 3, Arch. Zeit. tab. XXIII 20, Mi. S. III 498, 32, Head 290, Head-Svor. I 430; *Rhegium* (207—203) Hunt. Coll. I 143, 23.

e) Umbilicus et lyra:

Neapolis (400—340) Mi. I 121, 216 sqq., Hunt. Coll. I tab. 9 sq., Head 34, Head-Svor. I 53.

f) Duae aquilae in umbilico sedent (cf. scriptores):

Cyzicus (450—400) B. M. Mys. VIII 7, Num. Chron. 1876 tab. VIII 6, Head 453, Head-Svor. II 50.

g) *Ἀπόλλων* iuxta umbilicum stat:

Cyzicus (Commod.) B. M. Mys. 51, 239; *Catana* (auton.) Mi. I 227, 162, B. M. Sicily 51, 62; *Megara* (Geta) N. C. tab. A. 9.

h) *Ἀπόλλων* in umbilico sedet (cf. picturam vascularem, Rochette Mon. Inéd. tab. 37, Baumeister Denkm. II 1110 fig. 1307):

Delphi (346) B. M. IV 13, N. C. tab. Y 6, Types VII 44, Head 289 fig. 194, Head-Svor. I 429 tab. I E 112; (imper.) N. C. tab. Y 5; *Apollonia ad Rhyndacum* (330—283) B. M. Mys. II 9, Head 448, Head-Svor. II 42; *Cyzicus* (330—280)

B. M. IX 13, Head 453, Head-Svor. II 51, (480—350) Head 452, Head-Svor. II 51; *Tarsus* (auton.) Mi. III 620, 389; *Paphus* (320—310) Mi. S. VII 310, Head 624, Head-Svor. II 322; *Eleutherna* (300—200) Mi. II 276, 148, B. M. Crete VIII 13, Head 393, Head-Svor. I 587; *Chersonesus* (Creta) (350—300) Mi. II 264, 46, Mi. S. IV tab. 8, 1, Head 388, Head-Svor. I 608; *Rhegium* (270—203) Hunt. Coll. I 143, 30 (203—89) Head 95, Head-Svor. I 145; *Sinope* (189—183) Num. Chron. 1885 tab. II 18, Head 435, Head-Svor. II 21; *Chalcedon* (280—270) B. M. Bithyn. etc. XXXVI 6, Head 438, Head-Svor. II 31; *Characene* (post 160) Z. f. N. VIII 208, Head 697, Head-Svor. II 433; *Telmessus* (sec. 3 a. Chr. n.) Head 532, Head-Svor. II 170; *Seleucidae* (281—142) B. M. Sel. Kings I—XIX, Bab. IV—XII, XVI, XVII, Head 638 sqq., fig. 337 et 339, Head-Svor. II 343 sqq., tab. *KH'* 1, *KΘ'* 4.

i) Orestes genibus nisus umbilicum amplectitur:

Cyzicus (480—450) B. M. Mys. VII 1, Head 452, Head-Svor. II 50. Cf. picturas vasculares: Bötticher Omphalos fig. 1, Gerhard LX 1; Müller-Wieseler II 13, 148, Baumeister Denkm. II 1118 fig. 1315, Millin Peintures de Vases II 68, Gerhard LX 2.

k) Punctum in circulo positum umbilicum significare videtur:

Delphi (ante 421?) B. M. Centr. Greece IV 4, N. C. 121, Z. f. N. I 294, (Faustina) (in templi fastigio) B. M. IV 22, N. C. tab. x 24 (Cf. H. von Fritze, Z. f. N. XX (1897) p. 65, qui pateram significari putat); *Phlius* (auton.) B. M. Pelop. VII 4, N. C. 158.

§ 45. De umbilici sensu cum scriptores antiqui tum viri docti recentiores dissentiunt; antiquorum opinione aut

medium orbis terrarum aut *Πύθωνος* sepulcrum aut *Διονύσου* tumulum significat; recentiores contra inter se ambigunt, utrum umbilicus *Γαίας*[1]) an *Ἑστίας*[2]) sedes an *Διὶ Μοιραγέτῃ*[3]) sacer fuerit. E quibus sententiis prima mihi ceteris probabilior videtur; sed optime potest fieri, ut lapis ille numquam certi alicuius dei, sed semper ignoti cuiusdam genii domus habita sit; postea, vera causa venerationis oblivioni prodita, fabula de medio orbis terrarum orta est.

Quod ad Orestem attinet umbilicum amplexum, cf. Aesch. Eumen. 40:

ὁρῶ δ'ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον.

De *'Απόλλωνι* in umbilico sedente cf. Platonis Civit. IV 427: *οὗτος γὰρ δήπου ὁ θεὸς περὶ τὰ τοιαῦτα πᾶσιν ἀνθρώποις πάτριος ἐξηγητὴς ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος ἐξηγεῖται.*

Eur. Ion. 5: *ἥκω δὲ Δελφῶν τήνδε γῆν, ἵν' ὀμφαλὸν*
μέσον καθίζων Φοῖβος ὑμνῳδεῖ βροτοῖς.

De *ἀγρήνῳ* cf. Poll. IV 116: *"Αγρηνον. τὸ δ'ἦν πλέγμα ἐξ ἐρίων δικτυῶδες περὶ πᾶν τὸ σῶμα, ὃ Τειρεσίᾳ ἐπεβάλλετο ἢ τινι ἄλλῳ μαντικῷ.*

Boetticheri opinione vestis illa divina cum augures tum umbilicum sacrosanctos reddebat, tamquam tegumentum *ἀποτρόπαιον;* lanam autem universe aliquid divini habuisse e vittarum usu apparet, nec non e caerimonia apud saxum a Krono devoratum diebus sollemnibus celebrata (Paus. X 24, 6).

Non solum Delphis umbilicus adorabatur, sed etiam

---

[1]) Ulrichs, Reisen und Forschungen in Griechenland p. 78; Mommsen, Delphika p. 11.

[2]) Wieseler, Ann. d. I. 1857 p. 160.

[3]) Bötticher, Der Omphalos des Zeus zu Delphi p. 5.

Phliunte, Paphi, Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymis, postea denique Constantinopoli et Nicaeae umbilicus sacrosanctus erat (Vide Bab. Introd. XLVI). De umbilico Phliasio agit Paus. II 13, 7:

οὐ πόρρω δέ ἐστιν ὁ καλούμενος Ὀμφαλός, Πελοποννήσου δὲ πάσης μέσον, εἰ δὴ τὰ ὄντα εἰρήκασιν.

De umbilico Paphio: Hesych. s. v. *Γῆς ὀμφαλός· ἡ Πάφος καὶ Δελφοί.* Cf. nummos Paphios.

Antiochus I Soter *Ἀπόλλωνος* cultum in Antiochia instituit, novumque umbilicum erexit, tamquam Antiochia orbis terrarum centrum esset.

Malal. Chronogr. X, p. 233 Dind.: *ὅστις τόπος κέκληται ὁ ὀμφαλὸς τῆς πόλεως, ἔχων καὶ τύπον ἐγγεγλυμμένον ἐν λίθῳ ὀφθαλμοῦ.* Cf. nummos regum Seleucidarum.

In pictura quadam vasculari, Gerhard Vasenb. tab. 134, umbilicus Thymbraicus conspicitur, iuxta quem Achilles Troilum necat. *ΒΩΜΟΣ* quidem ei ascriptum est, sed scholiastae ad Aesch. Eumen. 34 Delphicum quoque umbilicum *βωμόν* nuncupant.

Umbilicum Delphicum cum oraculo quam artissime cohaesisse aliis lapidibus seu stipitibus sacris collatis facile intelligitur. *Διὸς* enim *Ἄμμωνος* simulacrum oracula edens nihil erat nisi umbilicus ligneus cf. Curt. Ruf. IV 7, 13: »Id quod pro deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodaverunt; umbilico maxime similis est habitus, smaragdo et gemmis coagmentatis. Hunc, cum responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes, multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus". Cf. Diod. Sic. XVII 50. Nec non baetylus Emesae in urbe Syriae adoratus oracula edebat cf. Phot. Bibl. cod. 242, p. 348 Bekker (Damasc. in vita Isidori): *„καὶ γράμματα ἀνέδειξεν ἡμῖν ἐν τῷ λίθῳ γεγραμμένα,*

χρώματι τῷ καλουμένῳ τιγγαβαρίνῳ κατακεχρωσμένα, καὶ ἐν τοίχῳ δὲ ἐγκρούσας· δι'ὧν ἀπεδίδου τὸν ζητούμενον τῷ πυνθανομένῳ χρησμόν, καὶ φωνὴν ἠφίει λεπτοῦ συρίσματος, ἣν ἡρμήνευεν ὁ Εὐσέβιος."

§ 46. [3]. Pheneï, in urbe Arcadiae (*Δήμητρος* lapides). Paus. VIII 15, 1. *Παρὰ δὲ τῆς Ἐλευσινίας* (i. e. *Δήμητρος*) *τὸ ἱερὸν πεποίηται Πέτρωμα καλούμενον, λίθοι δύο ἡρμοσμένοι πρὸς ἀλλήλους μεγάλοι. ἄγοντες δὲ παρὰ ἔτος ἥντινα τελετὴν μείζονα ὀνομάζουσι, τοὺς λίθους τούτους τηνικαῦτα ἀνοίγουσι, καὶ λαβόντες γράμματα ἐξ αὐτῶν ἔχοντα τὰ ἐς τὴν τελετὴν καὶ ἀναγνόντες ἐς ἐπήκοον τῶν μυστῶν κατέθεντο ἐν νυκτὶ αὖθις τῇ αὐτῇ. Φενεατῶν δὲ οἶδα τοὺς πολλοὺς καὶ ὀμνύντας ὑπὲρ μεγίστων τῷ Πετρώματι. καὶ ἐπίθημα ἐπ'αὐτῷ περιφερές ἐστιν, ἔχον ἐντὸς Δήμητρος πρόσωπον Κιδαρίας· τοῦτο ὁ ἱερεὺς περιθέμενος τὸ πρόσωπον ἐν τῇ μείζονι καλουμένῃ τελετῇ ῥάβδοις κατὰ λόγον δή τινα τοὺς ὑποχθονίους παίει. Φενεατῶν δέ ἐστι λόγος, καὶ πρὶν ἢ Ναόν, ἀφικέσθαι καὶ ἐνταῦθα Δήμητρα πλανωμένην.*

§ 47. [4]. Gythii, in urbe Laconicae (*Ζεὺς Καππώτας*). Paus. III, 22, 1. *Γυθίου δὲ τρεῖς μάλιστα ἀπέχει σταδίους ἀργὸς λίθος· Ὀρέστην λέγουσι καθεσθέντα ἐπ'αὐτοῦ παύσασθαι τῆς μανίας· διὰ τοῦτο ὁ λίθος ὠνομάσθη Ζεὺς Καππώτας κατὰ γλῶσσαν τὴν Δωρίδα.*

Pausanias quidem non dicit, hunc lapidem sua aetate adhuc venerationem habuisse, sed *Διὸς* nomen ei attributum indicat eum temporibus priscis *Διὸς* sedem (i. e. domum) habitam fuisse, posteaque, vero sensu obliterato, fabulam illam de Oreste ortam esse. Permultos lapides a Graecis priscis cultos esse eiusmodi fabulae ostendunt, de quibus

infra agam; quorum autem sanctitas e fabulis illis tantum apparet, hic contra Pausaniae aetate adhuc nomine dei, cuius domus fuerat, nuncupabatur, neque igitur eius verus sensus prorsus oblivione oppressus erat; quam ob rem eum hoc loco inter lapides adhuc adoratos commemoravi. Vocem *Καππώταν* non, ut Pausanias perhibet, *καταπαύτην* significare nemo non videt; Wide (p. 20) eam a radice *πετ-, πωτ-* derivandam censet, ita quidem ut lapis ille de coelo delapsus non aërolithus sed hominum incultorum opinione fulmine in terram deiectus sit (cf. Lib. I § 33); quam ob rem *Ζεὺς καππώτας* ei a *Διὶ καταιβάτῃ, κεραυνῷ* non segregandus videtur. Lapidem affert ad Mantineam repertum, in quo inscriptum est: *Διὸς Κεραυνõ* (Cauer Del.² 447, I. G. A. 101). Mayer[1]) contra vocem *καππώταν* derivandam esse putat a verbo *καταπίνω* (cf. Hes. Theog. 459 *τοὺς μὲν κατέπινε Κρόνος).* Equidem Widio assentior de derivatione, sed utrum lapis aërolithus fuerit necne decernere non ausim. Duo alii lapides etiam ad Orestem pertinere existimabantur, cf. Paus. II 31, 4 (Troezene) et VIII 34, 2 (Megalopoli), de quibus vide infra § 48 et § 60.

§ 48. [5]. Troezene in urbe Argolidis.

Paus. II, 31, 4. *Τὸν δὲ ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ λίθον, καλούμενον δὲ ἱερόν, εἶναι λέγουσιν ἐφ'οὗ ποτε ἄνδρες Τροιζηνίων ἐννέα 'Ορέστην ἐκάθηραν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρός.*

Hic lapis ante templum *'Αρτέμιδος Λυκείας* iacebat, ad quam deam fortasse ante fabulam illam inventam pertinere putabatur; nihil tamen in hac re pro certo statui posse quivis intelligit.

Mayer (l. l.) tres illos lapides, quos fabulae cum Oreste

---

[1]) M. Mayer s. v. Kronos, M. L. II 1539.

coniungunt, *Μεγάλῃ Μητρί*, *Ὀρεστέρᾳ Μητρί* tribuendos censet; minus recte, opinor, nam tam multos lapides ad heroes pertinere existimatos esse videmus, ut minime necesse sit, vocem *Ὀρεστέραν* fabulas illas de Oreste agentes peperisse putemus.

§ 49. [6]. Aeni, in urbe Thessaliae.

Plut. Quaest. Graec. 13. *Ἐκ δὲ τούτου μονομαχοῦσιν οἱ βασιλεῖς, καὶ τὸν τῶν Ἰναχιέων Ὑπέροχον ὁ τῶν Αἰνιάνων Φήμιος, ὁρῶν μετὰ κυνὸς αὐτῷ προσφερόμενον, οὐκ ἔφη δίκαια ποιεῖν, δεύτερον ἐπάγοντα μαχόμενον· ἀπελαύνοντος δὲ τοῦ Ὑπερόχου τὸν κύνα καὶ μεταστρεφομένου λίθῳ βαλὼν ὁ Φήμιος ἀναιρεῖ. Κτησάμενοι δὲ τὴν χώραν, τοὺς Ἰναχιεῖς μετὰ τῶν Ἀχαιῶν ἐκβαλόντες, τὸν μὲν λίθον ἐκεῖνον ὡς ἱερὸν σέβονται καὶ θύουσιν αὐτῷ καὶ τοῦ ἱερείου τῷ δημῷ περικαλύπτουσιν.*

III. De lapidibus capite humano ornatis.

§ 50. [1]. De hermis.

Paus. I, 24, 3. *λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς. πρῶτοι μὲν γὰρ Ἀθηνῶν ἐπωνόμασαν Ἐργάνην, πρῶτοι δ' ἀκώλους Ἑρμᾶς* * *. [1])

Paus. IV, 33, 3. *Ἀθηναίων γὰρ τὸ σχῆμα τὸ τετράγωνόν ἐστιν ἐπὶ τοῖς Ἑρμαῖς, καὶ παρὰ τούτων μεμαθήκασιν οἱ ἄλλοι.*

Paus. VIII, 48, 6. *πεποίηται δὲ καὶ Διὸς Τελείου βωμὸς καὶ ἄγαλμα τετράγωνον· περισσῶς γὰρ δή τι τῷ σχήματι τούτῳ φαίνονταί μοι χαίρειν οἱ Ἀρκάδες.*

Hisce locis hermae a Pausania praeterea commemorantur:

---

[1]) *ἐποιήσαντο* aut tale quid excidisse videtur.

Ἑρμοῦ: I 17, 2 (Athenis)[1], X 12, 6 (Delphis), IV 33, 3 (Messenae), VII 27, 1 (Pellenae), VII 22, 2 (Pharis), II 38, 7 (in finibus Argolidis et Laconiae), VIII 31, 7 (Megalopoli, in urbe Arcadiae), VIII 39, 6 (Phigaliae).

Ἀρτέμιδος: II 10, 7 (Sicyone); *Ἀφροδίτης Οὐρανίας*: I 19, 2; *Ἀπόλλωνος*: VIII 31, 7 (Megalopoli), VIII 32, 2 (ibidem), VIII 32, 4 (ibidem, *Ἀπ. Ἀγυιέως*); *Διὸς Τελείου*: VIII 48, 6 (Tegeae); *Ἀθηνᾶς*: VIII 31, 7 (Megalopoli), VIII 32, 4 (ibidem *Ἀθ. Ἐργάνης*); *Ποσειδῶνος*: VIII 31, 7 (ibidem), VIII 35, 6 (Tricolonis); *Ἡλίου Σωτῆρος*: VIII 31, 7 (Megalopoli); *Ἡρακλέους*: II 10, 7 (Sicyone), VIII 31, 7 (Megalopoli); *Μούσης*: VIII 32, 2 (ibidem); *Ἄμμωνος*: VIII 32, 2 (ibidem).

§ 51. In hisce nummis hermae conspiciuntur:

Ἑρμοῦ: *Athenarum* (220—197) B. M. Attica VIII 2, N. C., DD 19; *Phigaliae* (Sept. Sev., Domna) N. C. VII et 12; *Gythii* (Sept. Sev.) N. C. p. 164; *Leucadis* (400—330) B. M. Cor. XXXV 22; *Eresi*, in urbe Lesbi, Mon. gr. p. 278, 247; *Metaponti* (350—272) Hunt. Coll. I 94, 57, Mon. gr. A 3; *Crotonis* (420—390) Hunt. Coll. I tab. IX 18; *Sesti* (ante Alex. Magn.) B. M. Thrace 198, 6, Ant. Münz. I 271, 13; *Aeni*, Ant. M. I 130, 16, Types XII 9; *Lysimachi*, regis Thraciae (331—281) Hunt. Coll. XXIX 2; *Scostoci*, regis Thraciae (300) Hunt. Coll. XXIX 6; *Sinopae*, urbis Paphlagoniae (Faustina) Cohen III 167, 307; *Parii*, urbis Mysiae (Ant. Pius) B. M. Mysia 104, 96; *Sami* (imp.) B. M. Ionia XXXVI 17; *Rhodi* (304—166) B. M. Thrace XXXIX 6, (88—43) B. M. 263, 359.

---

[1]) De hermis Hipparcheis cf. Hesych. s. *Ἱππάρχειος Ἑρμῆς*, Thucyd. VI 27.

Διονύσου: *Naxi* (415—403) Hunt. Coll. I tab. XV 9; *Mytilenarum* (sec. 2 et 1 a. Chr. n.) B. M. Troas XXXVIII 9—19, (Valer., Gal.) B. M. XL 5 et 6, Mi. III 44, 90, Mi. S. VI 61 sq., 67—74, cf. B. M. XXXV 1.

Ἀθηνᾶς: *Halicarnassi* (Nero) B. M. Caria 110, 81; *Meli* (imp.) B. M. Crete XXIV 13.

Ἀρτέμιδος Ἐλευθέρας: *Myrae* (Gord.) B. M. Lycia XV 7.

Ἡρακλέους: *Athenarum*, N. C., D D. 12; *Megalopolis* (imp.) N. C., V 6 et 7, Mi. II 251, 46; *Tegeae* (Geta) N. C., V 24; *Gythii* (Sept. Sev.) N. C. 163, 1.

Deorum incertorum: *Sicyonis* (Carac.) Mi. S. IV 171, 1134; *Mantineae* (Sept. Sev.) N. C., S 20; *Megarorum* (Geta) N. C., A 15; *Pyli* (Carac., Geta) N. C., P. 16; *Argorum* (L. Verus) B. M. Pelop. XXVIII 20; *Aeginae* (Plautilla) B. M. Attica XXVI 8, N. C., L 8; *Therae* (imp.) Mi. S. IV 414, 333 sqq.; *Tarenti* (272—235) Hunt. Coll. I 77, 112 sqq., Mi. I 141, 404; *Terinae*, Num. Chron. 1882 tab. XI 14 p. 275.

§ 52. Hermae supra enumeratae partim capite tantum instructae sunt, partim capite et phallo, partim capite et bracchiis. De hermis ithyphallicis cf. Herod. II 51: *τοῦ δὲ Ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες οὐκ ἀπ' Αἰγυπτίων μεμαθήκασι, ἀλλ' ἀπὸ Πελασγῶν πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἁπάντων Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ὦλλοι.*

Permultis in picturis vascularibus et parietinis atque in gemmis hermae conspiciuntur; quas omnes enumerare longum est neque necessarium mihi videtur; satis enim clare apparet e Pausaniae locis et e nummis allatis, hermarum cultum ubique in Graecia viguisse; neque mirum, nam transitum formabant a lapidum veneratione ad idololatriam.

§ 53. [2]. De *'Αρτέμιδος Περγαίας* simulacro.

In nummis Pergae, urbis Pamphyliae, lapis conoidicus, in templo distylo iacens, expressus est, quem Head, H. N. 585 sic describit: »Cultus-idol in the form of a richly adorned conical stone in a temple"; quae descriptio eius opinione pertinet ad nummos imperatorios, inter autonomos contra, post annum 190 a. Chr. n. cusos, unum commemorat, in cuius adversa parte »effigiem Asiaticam *'Αρτέμιδος*" conspici dicit, in aversa pharetram et inscriptionem: *ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΡΓΑΙΑΣ*. (Asiatic effigy of Artemis, in temple). In Catalogo Musei Britannici idem nummus sic describitur: »Distyle Jonic temple; in pediment, eagle, wings displayed; within, simulacrum of Pergaean Artemis: a stone with horizontal bands of decoration, upper part in shape of female head wearing long veil and kalathos (B. M. Lycia etc. p. 121, 10, tab. XXIV 5). Quod rectius est, nam cum autonomi tum imperatorii nummi eundem lapidem capitatum [1]) exhibent, neque, quamvis non in omnibus nummis caput clare expressum sit, eam ob causam duo simulacra inter se distinguenda sunt. Lapis enim conoidicus ab Headio nummis imperatoriis tributus idem est ac effigies Asiatica *'Αρτέμιδος*,, quam in nummo illo autonomo conspicere sibi visus est. Dignum est quod observetur, eandem deam aliis in nummis autonomis prorsus humanam effictam esse (vide Head H. N. p. 584 fig. 321, Head-Svor. II 258, tab. *ΛΓ'*, 1). Reichel [2]) saxum sedem vacuam habet, pro deae sede adoratam; quam opinionem iis nummis, qui saxum capitatum clare exhibeant, prorsus refutari nemo non videt.

---

1) **Capitatum = capite humano ornatum; brevitatis causa hac voce utor.**

2) **Reichel, Ueber Vorhellenische Götterculte pp. 28 sq.**

De hac dea cf. Cic. in Verr. I 20, 34; Strab. XIV 167; Artemid. II 35; Hesych., Suid., Phot. s. v. *Περγέα θεός*.

Post 190 a. Chr. n.: B. M. XXIV 5 et 6, p. 121, 10 et 11; Head. 585, Head-Svor. II 259; Mi. S. VII 44, 78.

Imperatorii nummi: B. M. XXIV 12, p. 127, 41 (Elagab.); B. M. XXIV 15, p. 125, 31 (L. Verus); B. M. XXIV 16, p. 130, 55; Types XV 3; Gerhard p. 561 tab. LIX fig. 2, 3, 4; Eckhel III 13; Head l.l., Head-Svor. l.l.

Aliarum quoque Asiae minoris urbium nummi *Ἀρτέμιδος Περγαίας* simulacrum exhibent, eodem modo expressum: saxum conoidicum capite ornatum in templo distylo collocatum; nonnumquam utrimque saxi astrum et luna dimidia conspicitur; omnes imperatorum Romanorum aetate percussi sunt.

Pogla, urbs Pisidiae: B. M. Lycia etc. XXXVII 7, p. 236, 1 (Ant. Pius); B. M. XXXVII 8, p. 237, 8 (Phil. iun.); Head 591, Head-Svor. II 271.

Attalia, urbs Pamphyliae: B. M. p. 289, 25 (Her. Etr.); Eckhel III 11.

Selge, urbs Pisidiae: B. M. p. 267, 85 (Salonina).

Pednelissus, urbs Pisidiae: B. M. XXXVII 6, p. 234, 3 (M. Aur.); Head 591, Head-Svor. II 270.

IV. De lapidibus saxis columnis, quae, quamquam Pausaniae aetate non amplius colebantur, tamen priscis temporibus sacra fuisse ex eo apparet, quod ad deos sive heroes quodammodo pertinere credebantur.

§ 54. [1]. Megaris, in urbe Megaridos *(Ἀπόλλων)*.

Paus. I, 42, 2. *τῆς δὲ ἑστίας ἐγγὺς ταύτης ἐστὶ λίθος, ἐφ' οὗ καταθεῖναι λέγουσιν Ἀπόλλωνα τὴν κιθάραν, Ἀλκάθῳ τὸ τεῖχος συνεργαζόμενον ..... τότε δὲ αὐτῷ τειχίζοντι, ὥς φασιν οἱ Μεγα-*

ρεῖς, συνεργάζεταί τε Ἀπόλλων καὶ τὴν κιθάραν κατέθηκεν ἐπὶ τὸν λίθον· ἢν δὲ τύχῃ βαλών τις ψηφῖδι, κατὰ ταὐτὰ οὗτός τε ἤχησε καὶ κιθάρα κρουσθεῖσα.

§ 55. [2]. Thebis (*Ἀθηνᾶ* et *Ἡρακλῆς*).

Paus. IX, 11, 2. *Θηβαῖοι δὲ καὶ τάδε ἐπιλέγουσιν, ὡς Ἡρακλῆς ὑπὸ τῆς μανίας καὶ Ἀμφιτρύωνα ἔμελλεν ἀποκτιννύναι, πρότερον δὲ ἄρα ὕπνος ἐπέλαβεν αὐτὸν ὑπὸ τοῦ λίθου τῆς πληγῆς· Ἀθηνᾶν δὲ εἶναι τὴν ἐπαφεῖσάν οἱ τὸν λίθον τοῦτον, ὅντινα Σωφρονιστῆρα ὀνομάζουσιν.*

5. *Ὑπὲρ δὲ τὸν Σωφρονιστῆρα λίθον βωμός ἐστιν κ. τ. λ.*

§ 56. [3]. Thebis (Manto).

Paus. IX, 10, 3. *Ἔστι δ'ἐνταῦθα λίθος ἐφ' ᾧ Μαντώ φασι τὴν Τειρεσίου καθέζεσθαι. οὗτος μὲν πρὸ τῆς ἐσόδου (Ἀπόλλωνος Ἰσμηνίου* templi) *κεῖται, καί οἱ τὸ ὄνομά ἐστι καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι Μαντοῦς δίφρος.*

§ 57. [4]. In Athenarum arce (Silenus).

Paus. I, 23, 5. *Ἔστι δὲ λίθος οὐ μέγας, ἀλλ' ὅσον καθίζεσθαι μικρὸν ἄνδρα· ἐπὶ τούτῳ λέγουσιν, ἡνίκα Διόνυσος ἦλθεν ἐς τὴν γῆν, ἀναπαύσασθαι τὸν Σιληνόν.*

§ 58. [5]. Salamine (Telamon).

Paus. I, 35, 3. *δείκνυται δὲ λίθος ἐν Σαλαμῖνι οὐ πόρρω τοῦ λιμένος· ἐπὶ τούτου καθήμενον Τελαμῶνα ὁρᾶν λέγουσιν ἐς τὴν ναῦν ἀποπλεόντων οἱ τῶν παίδων ἐς Αὐλίδα ἐπὶ τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων στόλον.*

§ 59. [6]. Aeginae (Phocus).

Paus. II, 29, 7. *Παρὰ δὲ τὸ Αἰάκειον Φώκου τάφος χῶμά ἐστι περιεχόμενον κύκλῳ κρηπῖδι, ἐπίκειται δὲ λίθος τραχύς·*

καὶ ἡνίκα Φῶκον Τελαμὼν καὶ Πηλεὺς προηγάγοντο ἐς ἀγῶνα πεντάθλου καὶ περιῆλθεν ἐς Πηλέα ἀφεῖναι τὸν λίθον, οὗτος γὰρ ἀντὶ δίσκου σφίσιν ἦν, ἑκὼν τυγχάνει τοῦ Φώκου.

§ 60. [7]. In via Troezene Hermionen ducente (Theseus).

Paus. II, 32, 7. *Ἰοῦσι δὲ τὴν διὰ τῶν ὀρῶν ἐς Ἑρμιόνην πηγή τέ ἐστι τοῦ Ὑλλικοῦ ποταμοῦ, Ταυρίου δὲ τὸ ἐξ ἀρχῆς καλουμένου, καὶ πέτρα Θησέως ὀνομαζομένη, μεταβαλοῦσα καὶ αὐτὴ τὸ ὄνομα ἀνελομένου Θησέως ὑπ' αὐτῇ κρηπῖδας τὰς Αἰγέως καὶ ξίφος· πρότερον δὲ βωμὸς ἐκαλεῖτο Σθενίου Διός.*

§ 61. [8]. Megaris, *(Δημήτηρ)*.

Paus. I, 43, 2. *ἔστι δὲ τοῦ Πρυτανείου πέτρα πλησίον, Ἀνακλήθραν τὴν πέτραν ὀνομάζουσιν, ὡς Δημήτηρ, εἴ τῳ πιστά, ὅτε τὴν παῖδα ἐπλανᾶτο ζητοῦσα, καὶ ἐνταῦθα ἀνεκάλεσεν αὐτήν. ἐοικότα δὲ τῷ λόγῳ δρῶσιν ἐς ἡμᾶς ἔτι αἱ Μεγαρέων γυναῖκες.*

§ 62. [9]. Ad Athenas *(Δημήτηρ* aut Theseus).

Schol. Ar. Eq. 785. *ἔστι δὲ καὶ Ἀγέλαστος πέτρα καλουμένη παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅπου καθίσαι φασὶ Θησέα μέλλοντα καταβαίνειν εἰς Ἅδου· ὅθεν καὶ τοὔνομα τῇ πέτρᾳ, ἢ ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅτ' ἐζήτει τὴν κόρην.*

Cf. Ov. Fast. IV 503, Apollod. I 5, 1 *(παρὰ τὸ Καλλίχορον φρέαρ,* ergo Eleusine).

§ 63. [10]. Plataeis (Actaeon).

Paus. IX, 2, 3. *Τοῖς δὲ ἐκ Μεγάρων ἰοῦσι πηγή τέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ καὶ προελθοῦσιν ὀλίγον πέτρα· καλοῦσι δὲ τὴν μὲν Ἀκταίωνος κοίτην, ἐπὶ ταύτῃ καθεύδειν φασὶ τῇ πέτρᾳ τὸν Ἀκταίωνα ὁπότε κάμοι θηρεύων, ἐς δὲ τὴν πηγὴν ἐνιδεῖν λέγουσιν αὐτὸν λουμένης Ἀρτέμιδος ἐν τῇ πηγῇ.*

§ 64. [11]. Thebis (Tydeus).

Paus. IX, 18, 2. *Τούτου δὲ ἐγγύτατα τρεῖς εἰσὶν ἀργοὶ λίθοι· Θηβαίων δὲ οἱ τὰ ἀρχαῖα μνημονεύοντες Τυδέα φασὶν ἐνταῦθα εἶναι τὸν κείμενον, ταφῆναι δὲ αὐτὸν ὑπὸ Μαίονος.*

§ 65. [12]. Panopeï, in urbe Phocidis (Prometheus).

Paus. X, 4, 4. *λίθοι κεῖνται σφίσιν ἐπὶ τῇ χαράδρᾳ, μέγεθος μὲν ἑκάτερος ὡς φόρτον ἀποχρῶντα ἁμάξης εἶναι, χρῶμα δέ ἐστι πηλοῦ σφίσιν, οὐ γεώδους, ἀλλ' οἷος ἂν χαράδρας γένοιτο ἢ χειμάρρου ψαμμώδους· παρέχονται δὲ καὶ ὀσμὴν ἐγγύτατα χρωτὶ ἀνθρώπου. ταῦτα ἔτι λείπεσθαι τοῦ πηλοῦ λέγουσιν ἐξ οὗ καὶ ἅπαν ὑπὸ τοῦ Προμηθέως τὸ γένος πλασθῆναι τῶν ἀνθρώπων.*

§ 66. [13]. Delphis *(Λητώ)*.

Athen. XV 62. *καὶ φερομένου τοῦ Πύθωνος ἐπ' αὐτοὺς ἡ Λητὼ τῶν παίδων τὸν ἕτερον ἐν ταῖς ἀγκάλαις ἔχουσα προσβᾶσα τῷ λίθῳ τῷ νῦν ἔτι κειμένῳ ὑπὸ τῷ ποδὶ τῆς χαλκῆς εἰργασμένης Λητοῦς, ὃ τῆς τότε πράξεως μίμημα γενόμενον ἀνάκειται παρὰ τὴν πλάτανον ἐν Δελφοῖς, εἶπεν· ἴε παῖ, τυχεῖν δὲ τόξα μετὰ χεῖρας ἔχοντα τὸν 'Απόλλωνα.*

§ 67. [14]. Elaeae, in urbe Aeolidis (Thersander).

Paus IX, 5, 14. *καὶ οἱ* (Thersandro) *μνῆμα ἐς Καΐκου πεδίον ἐλαύνοντί ἐστιν ἐν 'Ελαίᾳ πόλει, λίθος ὁ ἐν τῷ ὑπαίθρῳ τῆς ἀγορᾶς· καὶ ἐναγίζειν οἱ ἐπιχώριοί φασιν αὐτῷ.*

§ 68. [15]. In Arcadia, in via Megalopoli Messenam ducente (Orestes).

Paus. VIII, 34, 2. *Οὐ πόρρω δὲ τοῦ ἱεροῦ γῆς χῶμά ἐστιν οὐ μέγα, ἐπίθημα ἔχον λίθου πεποιημένον δάκτυλον, καὶ δὴ καὶ ὄνομα τῷ χώματί ἐστι Δακτύλου μνῆμα· ἐνταῦθα ἔκφρονα*

'Ορέστην γενόμενον λέγουσιν ἕνα τῆς ἑτέρας τῶν χειρῶν ἀποφαγεῖν δάκτυλον.

Cf. de lapidibus ad Orestem pertinentibus §§ 47 et 48.

§ 69. [16]. Potniis, in oppidulo Boeotiae (Amphiaraus).

Paus. IX, 8, 3. *'Εκ δὲ τῶν Ποτνιῶν ἰοῦσιν ἐς Θήβας ἔστιν ἐν δεξιᾷ περίβολος τῆς ὁδοῦ οὐ μέγας καὶ κίονες ἐν αὐτῷ· διαστῆναι δὲ 'Αμφιαράῳ τὴν γῆν ταύτῃ νομίζουσιν, ἐπιλέγοντες καὶ τάδε ἔτι, μήτε ὄρνιθας ἐπὶ τῶν κιόνων καθέζεσθαι τούτων, μήτε πόαν τὴν ἐνταῦθα μήτε ἥμερον ζῷον μήτε τῶν ἀγρίων νέμεσθαι.*

V. De lapidibus, quorum sanctitas alio modo apparebat.

§ 70. [1]. Athenis, in Areopago.

Paus. I, 28, 5. *τοὺς δὲ ἀργοὺς λίθους, ἐφ' ὧν ἑστᾶσιν ὅσοι δίκας ὑπέχουσι καὶ οἱ διώκοντες, τὸν μὲν Ὕβρεως τὸν δὲ 'Αναιδείας αὐτῶν ὀνομάζουσι.*

§ 71. [2]. Athenis, in foro.

Plut. Solon 25. *κοινὸν μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐμπεδώσειν, ἴδιον δ' ἕκαστος τῶν θεσμοθετῶν ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ, καταφατίζων, εἴ τι παραβαίη τῶν θεσμῶν, ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς.* Cf. Poll. VIII 9, 86.

VI. De aërolithis sacris.

§ 72. [1]. De aërolitho, ad *Αἰγὸς ποταμοὺς* de coelo delapso.

Plut. Lys. 12. *οἱ δὲ καὶ τὴν τοῦ λίθου πτῶσιν ἐπὶ τῷ πάθει τούτῳ* (de Atheniensium clade loquitur) *σημεῖόν φασι*

γενέσθαι· κατηνέχθη γάρ, ὡς ἡ δόξα τῶν πολλῶν, ἐξ οὐρανοῦ παμμεγέθης λίθος εἰς Αἰγὸς ποταμούς. καὶ δείκνυται μὲν ἔτι νῦν, σεβομένων αὐτὸν τῶν Χερρονησιτῶν.

Plin. H. N. II 59. Celebrant Graeci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis septuagesimae octavae secundo anno, praedixisse caelestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset a sole. Idque factum interdiu in Thraciae parte ad Aegos flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur, magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante.

Cf. Diog. Laert. II 10, Marmor Parium (C. I. G. 2374) 72.

§ 73. [2]. Abydi.

Plin. H. N. II 59. In Abydi gymnasio ex ea causa colitur hodieque, modicus quidem, sed quem in medio terrarum casurum idem Anaxagoras praedixisse narratur.

§ 74. [3]. Cassandriae, in urbe Macedoniae.

Plin. H. N. II 59. Colitur et Cassandriae, quae Potidaea vocitata est, ob id deducta.

VII. De lapidibus in *Ἑρμοῦ* honorem congestis.

§ 75. Hom. Od. *π* 471.

ἤδη ὑπὲρ πόλιος, ὅθι θ' Ἕρμαιος λόφος ἐστί,
ἦα κιὼν κ. τ. λ.

Eustath. ad Od. *π* 471..... *οἱ δέ φασιν ὅτι Ἕρμαιος λόφος σωρὸς λίθων ἐστὶν ἐνόδιος ἢ βωμὸς ἢ λόφος ὑποκείμενος Ἑρμοῦ ἀνδριάντι. ἄλλοι δὲ νοοῦσιν Ἑρμαίους κοινῶς λόφους σημεῖα ὁδῶν κατὰ ποσήν τινα διάστασιν μιλιασμοῦ τυχὸν ἢ σταδιασμοῦ. Ἑρμῆς γάρ, φασι, πρῶτος οἷα κῆρυξ καὶ διάκτορος καθήρας τὰς ὁδούς, εἴ που λίθους εὗρεν, ἀπετίθει ἔξω ὁδοῦ· ὅθεν τοὺς τοιοῦτόν τι ποιοῦντας καὶ τὰς ὁδοὺς τῷ Ἑρμῇ ὡς*

διακτόρῳ ἐκκαθαίροντας εἰς τιμὴν Ἑρμοῦ τοὺς τῶν τοιούτων λίθων σωροὺς Ἑρμαῖα ἢ Ἑρμαίους λόφους καλεῖν.

Schol. ad Nicandri Thoriac. 150. *ἕρμακας δὲ τοὺς ἑρμαίους καὶ λιθώδεις τόπους, ἢ λίθους σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ.*

Schol. ad Od. π 471 (II 633 Dind.). *Ἑρμῆς κατὰ Διὸς κέλευσιν ἀνελὼν Ἄργον τὸν τῆς Ἰοῦς φύλακα ἤχθη ὑπὸ δίκην, Ἥρας αὐτὸν καὶ τῶν ἄλλων ἀγαγόντων θεῶν εἰς κρίσιν ὅτι πρῶτος ἐπεβεβλήκει δαιμόνων θνητῶν μιάσματι τὸν Ἄργον καὶ ἀνῃρήκει. κρίνοντας δὲ τοὺς θεοὺς εὐλαβεῖσθαι μὲν τὸν Δία διὰ τὸ ὑπόδικον γεγενῆσθαι τὸν Ἑρμῆν ταῖς αὐτοῦ παραγγελίαις. ἅμα δὲ ἀφωσιωμένους τὸ ἄγος καὶ τῆς ἀνδροφονίας ἀπολύοντας αἷς εἶχον ὀργαῖς προσβαλεῖν αὐτῷ τὰς ψήφους, καὶ οὕτως ἐπισωρευθῆναι πρὸς τοῖς ποσὶ τοῦ Ἑρμοῦ ψήφων πλῆθος. ὅθεν καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἄχρι τοῦ νῦν εἰς τιμὴν Ἑρμοῦ κατὰ τὰς ὁδούς, διὰ τὸ τὸν θεὸν εἶναι τοῦτον καθηγεμόνα καὶ ἐπίτροπον τῶν ἐκδημούντων, σωροὺς ποιεῖν λίθων καὶ διάγοντας προσβάλλειν λίθους, καὶ τούτους καλεῖν Ἑρμαίους λόφους.*

Eustath. ad Od. π 471 ..... *προσέρριψαν τὰς ψήφους ὁ καθένα τῶν κρειττόνων ἠρέμα τῷ Ἑρμῇ, βάλλοντες οἷον ἐκεῖνον λίθοις, καὶ οὕτω τὴν τοῦ φόνου ποίνην ἀφωσιώσαντο.*

Cf. Et. M. 375, 55 (Gaisf.).

Cornut. c. 16, p. 24. *προσσωρεύουσι δὲ τοὺς λίθους τοῖς Ἑρμαῖς ἑκάστου τῶν παριόντων ἕνα τινὰ αὐτοῖς προστιθέντος ἤτοι ὡς χρήσιμόν τι τὸ παρ᾽ αὐτὸν ἑκάστου καὶ κοινωνικὸν ποιοῦντος διὰ τοῦ καθαίρειν τὴν ὁδὸν εἴτε μαρτυροποιουμένου τὸν Ἑρμῆν εἴτε ὡς ἐπισημαινομένου τὴν εἰς αὐτὸν τιμήν, εἰ μηδὲν ἄλλο ἔχει προσενεγκεῖν αὐτῷ, εἴτε ἐκδηλότερον τοῖς παριοῦσι τὸ ἀφίδρυμα ποιοῦντος.*

Babr. 48. *ἐν ὁδῷ τις Ἑρμῆς τετράγωνος εἱστήκει, λίθων δ᾽ ὑπ᾽ αὐτῷ σωρὸς ἦν.*

Orac. Sibyll. Fragm. III, 30 (p. 237 Rzach).

Κἀν παρόδοισι λίθων συγχώματα· ταῦτα σέβεσθε.

Theophr. Char. 16. *καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν, καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας ἀπαλλάττεσθαι.*

Polyaen. Strateg. VI 24. *τοσαύτην γῆν ἀπετέμοντο τῇ τέχνῃ Λαμψακηνοὶ Παριανῶν μεθόριον στησάμενοι τὸ Ἑρμαῖον.*

Strab. VIII 12, 343. *συχνὰ δὲ καὶ Ἑρμαῖα ἐν ταῖς ὁδοῖς* (in Elide).

Paus. VIII 34, 6. *καὶ ἀπ' αὐτῆς στάδια εἴκοσί ἐστιν ἐπὶ τὸ Ἑρμαῖον, ἐς ὃ Μεσσηνίοις καὶ Μεγαλοπολίταις εἰσὶν ὅροι· πεποίηνται δὲ αὐτόθι καὶ Ἑρμῆν ἐπὶ στήλῃ.*

Cf. Strab. XVII 50, 818, Dio Chrys or. 78 p. 420, Anthol. Pal. VI 253, Anthol. Planud. IV 254, Hesych. II 193, 57, Suid. s. v. *Ἑρμαῖον.*

§ 76. De *ἑρμαίων* sive *ἑρμάκων* sensu viri docti magnopere dissentiunt. Welckeri [1]) opinione priscis temporibus, cum viae nondum munitae erant, pro itineris indicibus a viatoribus ipsis congerebantur. Liebrecht [2]) contra congeries illas olim tumulos fuisse putat; Pausaniae enim aetate nonnumquam alicuius sepulcrum indicabant, cf. Paus. X 5, 4: *καὶ τὰ τοῦ Λαΐου μνήματα καὶ οἰκέτου τοῦ ἑπομένου ἐνταῦθά ἐστιν ἐν μεσαιτάτῳ τῆς τριόδου, καὶ ἐπ' αὐτῶν λίθοι λογάδες σεσωρευμένοι,* et Paus. VIII 13, 3: *σωροὶ δὲ ὑπὸ τὴν πόλιν λίθων εἰσὶ διεστηκότες ἀπὸ ἀλλήλων, ἐπενήθησαν δὲ ἐν πολέμῳ πεσοῦσιν ἀνδράσιν.*

§ 77. Schmidt [3]) eas priscis temporibus nihil aliud fuisse existimat nisi lapidum acervos illos, quos Graeci hodierni

---

[1]) Welcker, Gr. Götterl. II 455.

[2]) Liebrecht, Zur Volkskunde 271.

[3]) Bernhardt Schmidt, Steinhaufen als Fluchmale, Hermesheiligtümer und Grabhügel in Griechenland. Jahrb. f. Philol. 1893 (tom. 147), 369—395.

aliquem exsecrantes cumulent; quicumque praeterit lapidem ad struem adiicit, dicens: »exsecror eum"[1]; Graeci prisci eius opinione lapidatione illa symbolica hominem exsecratum *Ἑρμῇ χθονίῳ* sive *κατόχῳ*, vindici divino, dedicabant; affert Eustathii verba (ad Od. π 471, vide supra): *βάλλοντες οἷον ἐκεῖνον λίθοις*, ut ostendat re vera apud Graecos lapidationem symbolicam exstitisse. Postea autem, cum *Ἑρμῆς* aliis quoque muneribus fungebatur et vias viatoresque tueri credebatur, congeries illae eius altaria fiebant, lapidesque, olim exsecrationis causa ad eas adiecti, nunc pro colendi ritu eodem modo a praetereuntibus iis iniiciebantur. Attamen non omnes eiusmodi acervi arae factae sunt, sed partim quoque priscum sensum retinuerunt, quod Graecorum hodiernorum exsecrandi modus indicat. Quod ad lapides attinet in hominum interfectorum honorem congestos, ii quoque Schmidtio priscis temporibus interfectoris exsecrandi causa accumulati esse videntur.

§ 78. Preller *ἑρμαῖα* *Ἑρμῆν* inde a prisca aetate repraesentasse existimat[2], neque segreganda esse a lapidibus unctis, de quibus Theophrastus loquitur; »in Griechenland", inquit, »erhielten sie sich am längsten an Kreuzwegen, indem jeder Vorübergehende einen Stein hinzuwarf oder den Steinhaufen mit Oel salbte oder Kränze und Bänder und allerlei Erstlinge darbrachte." Schmidt quoque *ἑρμαῖα* nihil aliud fuisse opinatur quam *λιπαροὺς λίθους τοὺς ἐν ταῖς τριόδοις*, (Theophr. Char. 16), qui

---

[1]) Cf. Sakellar. *Κυπριακ.* II 44: *ἀναθθεματούριν, τό· ἀνάθεμα κοιν. ἤτοι σωρὸς λίθων σχηματιζόμενος ὑπὸ τῶν χωρικῶν* (Cypri) *ἐν ταῖς τριόδοις πρὸς αἰώνιον ἀναθεματισμὸν τοῦ ἀδικήσαντος αὐτούς.*

[2]) Preller-Robert, Gr. Myth.[4] I 386, 5: „wie denn die *ἑρμαῖα, ἑρμαῖοι λόφοι, ἕρμακες,* die älteste Vergegenwärtigung des Hermes waren." Cf. ibidem p. 401.

unguebantur atque adorabantur ab hominibus superstitiosis; quamquam Schmidt, ut iam supra diximus, ea non simulacra sed aras habet Casaubonus ad Theophr. Char. 16: »Legimus *τριόδοις* vel *παρόδοις*, ut de iis lapidibus intelligamus qui in viis a viatoribus coli solebant; de iis Sibylla: *Κἂν παρόδοισι λίθων συγχώματα· ταῦτα σέβεσθε.* Sed praestat legere *τριόδοις*, nam aliud sunt *ἕρμακες*, de quibus Sibylla sine dubio intelligit, ab unctis lapidibus qui in proverbium abierunt. Dicebant enim de homine superstitioso *πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνεῖ.* Clem. Alex. libro septimo Stromatum, *οἱ αὐτοὶ δ'οὗτοι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες.*"

§ 79. Quibus opinionibus et scriptorum antiquorum locis perpensis plane dubiis haereo, quid de hac re statuendum sit. *Ἑρμαῖα* Graecis venerationi fuisse e Sibyllae verbis: „*ταῦτα σέβεσθε*" apparet, sed tamen scholiastae et lexicographi de veneratione tacent, nisi lapides in ea coniecti *Ἑρμῇ* pro donis offerebantur. At aliud est lapides ad acervum adiicere, aliud lapides accumulatos ipsos oleo perfundere atque genibus innisum adorare. Proverbium: „*πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνεῖ*" in singulos lapides, neque in acervos cadere videtur. Conferamus Lucian. Alex. 30, ubi de Romano quodam superstitioso sermo fit: „*καὶ εἰ μόνον ἀληλιμμένον που λίθον ἢ ἐστεφανωμένον θεάσαιτο, προσπίπτων εὐθὺς καὶ προσκυνῶν καὶ ἐπὶ πολὺ παρεστὼς καὶ εὐχόμενος καὶ τἀγαθὰ παρ' αὐτοῦ αἰτῶν,*" nec non Apul. Flor. 1: »neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita etc...... vel lapis unguine delibutus." Quibus locis, etiam de singulo lapide uncto agentibus, perpensis ad Casauboni sententiam inclinor, lapidesque unctos ab acervis in *Ἑρμοῦ* honorem accumulatis distinguere velim. Quamquam mirum est, lapides unctos quoque in triviis

positos fuisse. Dignum autem est quod observetur, lapides unctos tantum ab hominibus superstitiosis cultos esse, in ἑρμαῖα contra lapidem coniicere omnibus moris fuisse; quam ob rem illi fortasse ignoti cuiusdam genii domus habebantur, ut posterioribus temporibus non nisi ab hominibus superstitiosis colerentur, haec contra, quia Ἑρμῇ sacra essent, omnibus Graecis veneratione digna videbantur.

§ 80. Quomodo autem ἑρμαῖα interpretanda sunt? Schmidtii coniectura ingeniosissima quidem est, sed haud sciò an lapidatio talis symbolica ab hominibus priscis, hominem scelestum re vera potius quam symbolice lapidibus obruentibus, alienum sit; quam ob rem ἑρμαῖα eo modo orta esse mihi minus credibile videtur. Totemismi aetate altaria fortasse fuerant, in quibus totemi sanguis effundebatur, ad quae tamen postea, totemismo oblivione oppresso altaribusque deorum sedibus factis, lapides pro donis iaciebantur, ut saepe fit apud homines incultos. Quae tamen omnia valde ambigua sunt, neque quicquam in hac re pro certo statui potest.

§ 81. De lapidum congeriebus cf. R. Andree, Ethnogr. Parall. u. Vergl. pp. 46 sqq., de lapidibus coniectis Liebrecht, zur Volkskunde pp. 267 sqq. De ἑρμαίοις vide etiam Scherer, Roscheri M. L. I 2, 2382, et Lewy, Philol. LII (1894) p. 568.

B. De stipitum veneratione.

I. De stipitibus a Graecis tamquam deorum sedibus adoratis.

Cf. Xenophont. Mem. I 1, 14 et Clem. Alex. Protr. IV 46, supra Lib. II § 2.

§ 82. [1]. Icari (*Ἄρτεμις*).

Clem. Alex. Protr. IV 46 ... *ἐν Ἰκάρῳ τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ἄγαλμα ξύλον ἦν οὐκ ἠργασμένον.*

Arnob. adv. gent. VI 11 ... lignum Icarios (coluisse) pro Diana indolatum.

§ 83. [2]. Thespiis, in urbe Boeotiae (*Ἥρα Κιθαιρωνία*).

Clem. Alex. ibidem. *καὶ τὸ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμένον.*

Arnob. ibidem ... ramum pro Cinxia Thespios (coluisse).

§ 84. [3]. Sami (*Ἥρα*).

Clem. Alex. ibidem. *καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δὲ ἐπὶ Προκλέους ἄρχοντος ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο.*

Plut. Mor. V p. 762 (Wyttenb.), apud Euseb. Praep. Evang. III 8. *Ἥρας δὲ καὶ Σάμιοι ξύλινον εἶχον εἶδος, ὥς φησι Καλλίμαχος·* (frgm. 105 Schneider)

„Οὔπω Σμίλιος ἔργον ἐΰξοον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμῷ
„δημαίῳ γλυφάνων ἄξοος ἦσθα σανίς·
„ὧδε γὰρ ἱδρύοντο θεοὺς τότε· καὶ γὰρ Ἀθήνης
„ἐν Λίνδῳ Δαναὸς λεῖον ἔθηκεν ἕδος."

§ 85. [4]. Lindi, in urbe Rhodi (Ἀθηνᾶ) [1].

Euseb. ibidem. Vide supra sub [3], § 84.

Thiersch (Epochen p. 21) coniecit λαᾶν ἔθηκε βρέτας; Dindorf κίον' ἔθηκεν ἕδος, quod Overbeck (p. 143) accipit; equidem textum traditum retinere malim, ita ut sedes levis palus sit, nondum in simulacrum humanum excultus.

§ 86. [5]. Athenis (Ἀθηνᾶ).

Euseb. ibidem. Λέγει δ' οὖν Πλούταρχος ὧδέ πῃ κατὰ λέξιν· „Ἡ δὲ τῶν ξοάνων ποίησις ἀρχαῖον ἔοικεν εἶναί τι καὶ παλαιόν, εἴγε ξύλινον μὲν ἦν τὸ πρῶτον εἰς Δῆλον ὑπὸ Ἐρισίχθονος Ἀπόλλωνι ἐπὶ τῶν θεωριῶν ἄγαλμα, ξύλινον δὲ τὸ τῆς Πολιάδος ὑπὸ τῶν αὐτοχθόνων ἱδρυθέν, ὃ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι διαφυλάττουσιν.

Tertull. Apol. 16. Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica et Ceres Raria, quae sine effigie rudi palo et informi ligno prostat?

§ 87. [6]. Eleusine (Δημήτηρ Ραριάς).

Tertull. Apol. 16. Vide supra § 86.

Tertull. adv. gent. I 12. Quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica et Ceres Raria quae sine forma, rudi palo, et solo staticulo ligni informis repraesentatur?

---

[1]) De Ἀθηνᾷ Lindia vide H. Van Gelder, Geschichte der alten Rhodier, pp. 313 sqq., qui hanc deam non vere Graecam fuisse putat.

§ 88. [7]. Deli *(Ἀπόλλων)* (?).

Euseb. ibidem. Vide supra § 86.

Plutarchus *Ἀπόλλωνος* et *Ἀθηνᾶς Πολιάδος* simulacra *ἀγάλματα ξύλινα* nuncupat; e quibus hoc nihil fuisse nisi palum Tertullianus testatur, quam ob rem illud quoque palum rudem fuisse veri simile videtur.

§ 89. [8]. Thebis *(Διονύσου στῦλος)*.

Clem. Alex. Strom. I 25, 163. Vide supra Lib. II, § 31.

§ 90. [9]. Thebis *(Διόνυσος Κάδμος* sive *Καδμεῖος)*.

Paus. IX 12, 4. *Λέγεται δὲ καὶ τόδε, ὡς ὁμοῦ τῷ κεραυνῷ βληθέντι ἐς τὸν Σεμέλης θάλαμον πέσοι ξύλον ἐξ οὐρανοῦ· Πολύδωρον δὲ τὸ ξύλον τοῦτο χαλκῷ λέγουσιν ἐπικοσμήσαντα Διόνυσον καλέσαι Καδμεῖον* (sive *Κάδμον*).

Diod. Sic. I 23. *καὶ τεκεῖν (τὴν Σεμέλην) ἑπτὰ μηνῶν διελθόντων βρέφος τὴν ὄψιν οἷονπερ οἱ κατ' Αἴγυπτον τὸν Ὄσιριν γεγονέναι νομίζουσι· ζωογενεῖσθαι δὲ οὐκ εἰωθέναι τὸ τοιοῦτον . . . . ., Κάδμον δὲ αἰσθόμενον τὸ γεγονός, ... χρυσῶσαι τὸ βρέφος, καὶ τὰς καθηκούσας αὐτῷ ποιήσασθαι θυσίας, ὡς ἐπιφανείας τινὸς κατ' ἀνθρώπους Ὀσίριδος γεγενημένης.*

Diodorus quidem de infante neque de stipite loquitur, sed vox *χρυσῶσαι* clare indicat, *βρέφος* illud non infantem humanum fuisse, et Pausianae fabula comparata magna cum probabilitate dicere possumus, apud Diodorum quoque de ligno sermonem fieri. Cf. Bötticher 230, Overbeck 151.

§ 91. [10]. Ubique ruri *(Διόνυσος)*.

Max. Tyr. VIII 1. *καὶ γεωργοὶ Διόνυσον τιμῶσι πήξαντες ἐν ὀρχάτῳ αὐτοφυὲς πρέμνον, ἀγροικικὸν ἄγαλμα.*

§ 92. [11]. Deli *(Λητώ)*.

Athen. XIV 2. *καὶ πάντα τὰ κατὰ τὴν νῆσον θαυμάζων ἦλθε καὶ εἰς τὸ Λητῷον, νομίζων τῆς Ἀπόλλωνος μητρὸς ἄγαλμά τι θεωρήσειν ἀξιόλογον· ἰδὼν δ' αὐτὸ ξύλινον ἄμορφον παραδόξως ἐγέλασεν.*

Hoc quoque simulacrum in stipitum numero habendum videtur; quamquam incertum est, utrum prorsus rudis palus fuerit an quodammodo in formam humanam edolatus.

§ 93. [12]. Spartae *(Διόσκουροι)*.

Plut. de Frat. Am. 1. *Τὰ παλαιὰ τῶν Διοσκούρων ἀφιδρύματα οἱ Σπαρτιᾶται δόκανα καλοῦσι· ἔστι δὲ δύο ξύλα παράλληλα δυσὶ πλαγίοις ἐπεζευγμένα, καὶ δοκεῖ τῷ φιλαδέλφῳ τῶν θεῶν οἰκεῖον εἶναι τοῦ ἀναθήματος τὸ κοινὸν καὶ ἀδιαίρετον.* Cf. Eustath. ad Iliad. P 744.

Duae gemmae duas parvas columnas, vinculo inter se coniunctas, exhibent, quas *Διοσκούρους* referre Furtwängler dubitanter coniecit. Mihi autem hae columnae a trabibus illis a Plutarcho commemoratis distinguendae videntur; columnae enim magis quam trabes sunt, neque duabus trabibus, sed uno tantum vinculo inter se coniunguntur. Licet igitur fieri possit, ut alia quaevis eiusmodi *Διοσκούρων* simulacra referant, nihil tamen in hac re pro certo statuendum est.

Furtw. VI 305, p. 30 (sec. 5 a. Chr. n.), Furtw. A. G. XIII 29; Furtw. XLV 6464, p. 236 (= Tölken VII 45, Winckelmann V 250) (gemma hellenistico-graeca).

In alia gemma (hellenistico — romana, Furtw. XLVII 6617, p. 243, Furtw. A. G. XXIX 44); columnae duae conspiciuntur, vinculo carentes; supra utramque globus aculeatus et astrum; hasta et gladium columnis applicata

	„	*Ἀπόλλων Καρνεῖος.*	„
	„	*Ποσειδῶν Ἱπποκούριος.*	„
	„	*Διόνυσος Ἔριφος.*	„
	Gythii	*Ἀπόλλων Καρνεῖος.*	„
	Laë	„ „	„
	Oetyli	„ „	„
	Leuctris	„ „	„
	Cardamulae	„ „	„

8) In Messenia.

C 1.	Cyparissiis	Ἀθηνᾶ Κυπαρισσία.	214
D 1.	Coronae	Ἀθηνᾶς simulacrum, cornicem manu tenens.	268
	„	Ἀπόλλων Κόρυδος.	272
	Pharis.	„ Καρνεῖος.	„
	In campo Sthenuclero	„ „	„
	Oechaliae	Ἑρμῆς arietem humeris gestans.	270

9) In Arcadia.

A 1.	In monte Lycaeo	Διὸς Λυκαίου columnae duae.	33
	Phenei	Δήμητρος Κιδαρίας Πέτρωμα.	46
	Megalopoli	Δακτύλου μνῆμα, Orestis digitus.	68
	Ad Megalopolim	Ἑρμαῖον, in finibus Megal. et Messeniae.	75
B 1.	In monte Cyllene	Ἑρμοῦ Κυλληνίου phallus ligneus.	101
C 1.	Tegeae	Quercus Πανὶ sacra.	104
	Psophide	Alcmaeonis cupressi.	124
	Caphyis	Menelai platanus.	126
	Orchomeni	Ἀρτέμιδος Κεδρεάτιδος simulacrum in cedro collocatum.	146
	Phigaliae	Διονύσου Ἀκρατοφόρου simulacrum, cuius pars inferior foliis laureis atque hederaceis contecta erat.	147
D 1.	Aseae	Μεγάλης Μητρὸς leones.	259
	Phigaliae	Δημήτηρ capite equino.	263
	„	Ἀρτέμιδος Εὐρυνόμης simulacrum, parte superiore femina, inferiore piscis.	265

	In monte Lycaeo	*Ζεὺς Λύκαιος.*	272
	Megalopoli	„ „	„
	Tegeae	*Ἀθηνᾶ Ἱππία.*	„
	Phenei	*Ποσειδῶν Ἵππιος.*	„
	Mantineae	„ „	„
	Methudrii	„ „	„
	Lycosurae	„ „	„
D 2.	Thelpusae	Adv. *Δήμητρος* caput, av. equus.	264
	Cleitore	Adv. *Παλλάδος* caput, av. equus.	„
	Phenei	Adv. *Ἀρτέμιδος Εὐρίππης* caput, av. equus.	„
	„	Adv. *Ἑρμοῦ* caput, av. aries.	270
	Arcad. univ.	Equus.	264

10) In Elide.

A 1.	Universe	Multa *Ἑρμαῖα.*	75
C 1.	Olympiae	*Ἡρακλέους* oleaster.	121
	„	*Ἄρτεμις Δαφνία.*	214
D 1.	Olympiae	*Ἥρα Ἱππία.*	272
	„	*Ἀθηνᾶ* „	„
	„	*Ἄρτεμις Ἐλαφία.*	„
	„	*Ποσειδῶν Ἵππιος.*	„
	„	*Ἄρης* „	„
	„	*Ἑρμῆς* arietem gestans.	270
	Elide	Heros forma serpentina indutus.	235
	„	Feminae *Διόνυσον* invocant: *ἄξιε ταῦρε κ. τ. λ.*	255
	„	*Σελήνης* simulacrum cornutum.	266
	„	*Ἄρτεμις Ἐλαφιαία.*	272

11) In Achaia.

A 1.	Pharis	30 lapides quadranguli erecti sacri, quos incolae singulos	

C 3.	Chaeroneae	Ἀπόλλων Δαφναφόριος.	214
	Orchomeni	Deus quidam: Κυπάρισσος.	„
D 1.	Thebis	Mustelas venerabantur, quia mustela Ἡρακλέους nutrix fuisset.	216
	Lebadeae	In Trophonii antro serpens oracula edebat.	234
	Tanagrae	Ἑρμῆς Κριοφόρος.	270
	Potniis	Διόνυσος Αἰγοβόλος.	272
D 2.	Copis	Anterior pars tauri sive caput taurinum.	„
	Tanagrae	Ἑρμῆς arietem humeris gestans.	270
D 3.	Thespiis	Θεὸς Ταῦρος.	255
	Copis	Δημήτηρ Ταυροπόλος.	272

13) In Phocide.

A 1.	Delphis	Ἀπόλλωνος columna.	29
	„	Saxum a Krono devoratum.	40
	„	Umbilicus Delphicus.	43
	„	Λητοῦς saxum.	66
	Panopei	Promethei lapides.	65
C 1.	Delphis	Ἀπόλλωνος laurus.	108
	„	Agamemnonis platanus.	125
	Elataeae	Ἀθηνᾶ Κραναία.	214
C 5.	Delphis	Ἀπόλλωνος laurus.	108
C 6.	„	„ „	„
D 1.	Delphis	Lupi adorabantur.	225
	„	Lupus aheneus in Ἀπόλλωνος templo.	256
	„	Ἀπόλλων Δελφίνιος.	272
D 2.	„	Delphini.	„

14) In Acarnania.

D 1. In prom. Actio	Bos muscis mactabatur.	219

15) In Epiro.

A 2. Ambraciae	Obeliscus taeniis ornatus (Ἀπόλλων Ἀγυιεύς).	24
Orici	Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως obeliscus.	25
C 1. Dodonae	Διὸς quercus fatidica.	102
C 2. „	„ „ „	102
D 1. Ambraciae	Leaena colebatur, quia tyrannum necavisset.	226
?	Serpentes sacri fatidici in Ἀπόλλωνος templo nutriti.	240
D 2. Cassopae	Serpens.	„

16) In Illyrico.

A 1. Apolloniae	Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως obeliscus.	26
C 2. „	Dea sedens in templo; iuxta templum 4 cupressi.	209

17) In Thessalia.

A 1. Aeni.	Phemii lapis sacer.	49
C 2. Cierii.	Ἀσκληπιὸς aut Ἀπόλλων sedens ante arborem circum quam volvitur serpens.	188
Metropoli	Ἀφροδ. Καστνία in rupe sedens sub arbore.	189
D 1. Universe	Ciconiae Thessalis veneratoni erant.	215
„	Formicae adorabantur, quia Ζεὺς formicae specie indutus Myrmidonem genuisset.	217

	Universe	Serpens sacer perniciosissimus.	224
D 2.	Multis in urbibus	Equus.	271

18) In insulis.

A 1.	Paphi	Ἀφροδ. Παφίας conus.	18
	„	Umbilicus.	45
	Apud antrum Idaeum (Cret.)	κεραυνία λίθος.	6
	Aeginae	Phoci saxum.	59
A 2.	Chalcide	Saxum conoidicum (?).	11
	„	Ἥρα in saxo conoidico sedens.	11
	Paphi	Ἀφροδ. Παφίας conus in templo.	18
A 4	„	„ „ „ „ „	18
C 1	Icariae	Ἀρτέμιδος Ἰκαρίας ξύλον οὐκ ἠργασμένον.	82
	Sami	Ἥρας ἄξοος σανίς.	84
	Lindi (Rhod.)	Ἀθηνᾶς λεῖον ἕδος.	85
	Deli	Ἀπόλλωνος simulacrum (?).	88
	„	Λητοῦς simulacrum ξύλινον ἄμορφον.	92
C 1.	„	Λητοῦς laurus (sub qua pepererat).	105
	„	Λητοῦς palma (sub qua pepererat).	106
	„	Λητοῦς olea (sub qua pepererat).	107
	„	Hyperoches et Laodices olea.	132
	Rhodi	Ζεὺς Ἔνδενδρος.	214
	„	Helena Δενδρῖτις.	119
	Cypri	Ἀφροδίτη Cypri primam malum puniceam severat.	113
	Sami	Ἥρας vitex in templo.	114
	„	Ἥρας simulacrum viticis ramis intextum.	154

	Gortynae	*Διός* et Europae platanus.	115
	Ante antrum Idaeum (Cret.)	*Διός* arbor.	141
C 2.	Deli	*Λητοῦς* palma.	106
	Gortynae (Cr.)	Europa sedens in arboris ramis.	115
	Apterae (Cr.)	Adv. *'Αρτέμιδος*, av. vir armatus arborem adorans.	173
	Hierapytnae (Cr.)	Aquila sub palma (adv. *Διός* caput).	199
	Priansi (Cr.)	Persephone sub palma sedens.	183
	Coë	Palladium, ara, olea.	170
	Ii	*'Αθηνᾶ Πολιάς* et palma.	187
D 1.	Sami	Ovis colebatur eiusque imago aurea in *"Ηρας* templo dedicata erat quia indicavisset ubi res aureae ex *"Ηρας* templo surreptae absconditae essent.	220
	„	Pavones in *"Ηρας* fano nutriti.	248
	In Creta	Porci culti, quia porca *Διὶ* infanti ubera praebuisset.	223
	Seriphi	Cicadas marinas mortuas lamentabantur.	229
	Leri	Meleagrides circa *'Αθηνᾶς* templum nutritae.	249
	Tenedi	Sacerdos vitulum *Διονύσῳ* sacrificabat, et deinde lapides in eum coniiciebantur et fugiebat.	255
	Icari	*'Αρτέμιδος* cervi etc. *ἄφετοι*.	244
	Sami	*"Αρτεμις Καπροφάγος*.	272
	Andri	*'Αθηνᾶ Ταυροβόλος*.	„
	Aeginae	*'Απόλλων Δελφίνιος*.	„
D 2.	Cytherae	Adv. *'Αφροδ.* caput. av. columba.	243

	Sami	Adv. Ἥρας caput, av. pavo in prora sedens.	248
	In Creta	Apis (Elyri, Hyrtacinae, Praesi).	272
	Amorgi	"	"
	In Creta	Taurus *(Ζεύς)*.	271
	Aeginae	Testudo.	"
	"	Ἑρμῆς arietem humeris gestans.	270
	"	Delphinus sive duo delphini.	272
	Rhauci (Cr.)	Ποσειδῶν iuxta equum stans.	"
	Therae	Adv. Ἀπόλλωνος caput, av. tres delphini.	"
D 3.	Eresi (Lesb.)	Ἀπόλλων Λύκειος.	272
	Camiri (Rhod.)	" Καρνεῖος.	"
	Lorymis "	" "	"
	Therae	" "	"
	"	" Δελφίνιος.	"
	Cnossi (Cr.)	" "	"
	Lindi (Rhod.)	Ποσειδῶν Ἵππιος.	"

19) In Ionia.

A 2.	Erythris	Adv. Ἡρακλέους caput, av. lapis conoidicus?	13
C 1.	Ephesi	Ἀρτέμιδος simulacrum φηγοῦ ὑπὸ πρέμνῳ collocatum.	153
C 2.	"	Cervus stans sub palma.	200
	"	Ἄρτεμις venatrix sub palma.	200
	Magnesiae ad Maeandrum	Ara ardens sub olea.	169
	Pygelis	Taurus iuxta palmam.	203
	Prienae	Noctua in amphora sedens, sub qua palma.	205

D 1.	Colophone	Catuli *'Εκάτῃ* mactabantur.	267
	Ephesi	*Ποσειδῶν Ταύρειος* sive *Ταύριος*.	272
	„	*Ταῦροι: οἱ παρὰ 'Εφεσίοις οἰνοχόοι.*	„
D 2.	„	Apis.	271
	„	Cervus.	„
D 3.	Smyrnae	*Ἄρτεμις Ταυροπόλος.*	272

20) In Caria.

C 2.	Halicarnassi	*Ζεὺς 'Ασκραῖος* (?) stans inter duas arbores.	184
	Aphrodisiae	Duo viri iuxta arborem.	166
	Attudae	Arbor sub qua ara ardens.	171
	Alabandis	*'Απόλλων Κίσσιος.*	214
D 3.	Mylasis	*Ἄρτεμις (?) Ταυροπόλος.*	272

21) In Lycia.

C 2.	Myrae	*'Αρτέμιδος 'Ελευθέρας* simulacrum in arbore collocatum.	195
D 1.	„	Pisces sacri circa *'Απόλλωνος* templum nutriti.	252

22) In Pisidia.

A 2.	Selgae	*'Αρτέμιδος Περγαίας* simulacrum: saxum conoidicum capitatum.	53
	Pednelissi	*'Αρτέμιδος Περγαίας* simulacrum: saxum conoidicum capitatum.	53
	Poglae	*'Αρτέμιδος Περγαίας* simulacrum: saxum conoidicum capitatum.	53
	Adadis	Saxum conoidicum supra quod astrum.	15

C 2.	Selgae	Duo vasa arbores parvas (styraces?) continentia; utrimque vasorum ara ardens; omnia in basi lata quadrangula collocata.	167

23) In Cilicia.

A 2.	Tarsi	Duo coni apud *Διὸς Δολιχηνοῦ* simulacrum.	20
	Malli	Saxum conoidicum aut pyramidale.	21

24) In Pamphylia.

A 2.	Pergae	*Ἀρτέμιδος Περγαίας* simulacrum.	19
	"	" " "	53
	Attaliae	" " "	53

25) In Phrygia.

A 1.	Pessinunte	Magnae Matris saxum, Romam deportatum.	6
	Laodiceae	Lapides divi in *Ἀρτέμιδος* templo.	7
A 2.	Synnadis	Adv. *Ἡρακλέους* caput, av. saxum conoidicum in templo distylo.	16

26) In Bithynia.

C 2.	German. Caesar.	Cupressus super ara aut in cista posita.	172

27) In Mysia.

A 1.	In monte Ida	Cybeles »religiosa silex".	6
	Cyzici	*Χαρίτων* columna triplex (?).	34
	Elaeae	Thersandri saxum.	67

Abydi	Aërolithus adorabatur.	73
Ad Lampsacum	'Ερμαῖον.	75
C 1. Ilii	Quercus in Ili tumulo satae.	130
Temni	'Αφροδίτης simulacrum, a Pelope e myrto florente confectum.	152
C 2. Elaeae	Ara sub arbore.	165
Pergami	Aquila et palma.	206
D 1. Hamaxiti.	Mures venerationi erant.	218
„	Mures in 'Απόλλωνος Σμινθίου templo nutriebantur.	„
„	Mus positus iuxta 'Απ. tripodem.	„
Cyzici	Διόνυσος ταυρόμορφος ἵδρυται.	255
„	Taurus.	„

28) In Syria.

A 1. Emesae	Baetylus oracula edens.	45
A 2. Seleuciae	Διὸς Κασίου saxum conoidicum.	10
Chalcide s. Libano	Adv. Διὸς caput, av. saxum conoidicum in templo distylo.	12

29) In Ponto.

C 1. Heracleae	'Ηρακλέους quercus duae.	127
	Amyci laurus insana.	131
C 2. Amasiae	Arbor iuxta aram.	168

30) In Thracia.

A 1. Aeg. Potam.	Aërolithus adorabatur.	72
A 2. Byzantii	'Απόλλωνος obeliscus.	28
A 3. Aeg. Potam.	Aërolithus.	72
C 1. Ex adv. Ilii	Protesilai arbores.	129
D 1. Zarynthi	Canes 'Εκάτῃ sacrificabantur.	267
Universe	Ἄρτεμις Βούσβατος.	272
D 2. In Samothrace	Caput arietinum et caduceus.	271

31) In Macedonia.

A 1.	Cassandriae	Aërolithus colebatur.	74
A 2.	In Maced. univ.	*Ζεὺς* sedens, ante eum lapis conoidicus,supra quem astrum.	14
	Uranopoli	*'Αφροδ. Οὐρανία* sedens, in eius capite aut in area lapis pyramidalis.	36
C 2.	In Maced. univ.	*Ζεὺς* sedens; ante eum palma.	194
D 2.	Amphipoli	*"Αρτεμις Ταυροπόλος* tauro vecta.	272
	In Maced. univ.	„ „ „ „ duas faces tenens.	„
	Potidaeae	*Ποσειδῶν* equo insidens.	„

32) In Italia.

C 1.	Metaponti	*'Απόλλωνος* laurus ahenea.	144
D 1.	In Daunia	Canes circa *'Αθηνᾶς 'Ιλιάδος* fanum nutriti.	242
	In insula Diomedea.	Ardeae circa Diomedis templum.	250

33) In Sicilia.

C 1.	Ad Syracusas	*"Αρτεμις Φακελῖτις.*	156
„	Syracusis	*'Απόλλων Δαφνίτης.*	214
C 2.	„	Palma vittis ornata.	175
	Ennae	Deus (?) ante arborem sedens.	191
D 1.	Adrani	Canes sacri circa Adrani templum nutriti.	251
	Aetnae	Canes sacri circa *'Ηφαίστου* templum nutriti.	241
	In monte Eryce.	Columbae circa *Αφροδίτης* templum.	243

D 2.	Mamertinis	Adv. Adrani caput, av. canis.	251
	Multis in urbibus	Canis.	"
	Panormi.	Adv. 'Αφροδίτης caput, av. columba.	243
	Agrigenti.	Pagurus.	271

LIBER III.

De Graecarum superstitionum, quae non sunt anthropomorphicae, ratione ac natura. Quomodo paulatim anthropomorphismo cesserint.

---

§ 1. In libro primo vidimus multis causis homines ad saxorum stipitum plantarum animalium venerationem perductos esse variisque modis ea adorare. Perdifficile igitur est statuere, e quibus fontibus hae superstitiones emanaverint in Graecia, ubi antiquissimis temporibus, nobis plane obscuris, eas viguisse reliquiae nos docent. Nam, licet pro certo statui posse videatur, animismum omnium horum cultuum fundamentum esse, tam multae tamque diversae superstitiones — immo quaevis religio — eo nituntur, ut definitio tam vaga nobis minime satisfacere possit. Itaque variae causae nobis indagandae sunt, quae hasce Graecorum superstitiones pepererint, qua in re a lapidum stipitumque venerationibus ordiemur, deinde de arborum et animalium cultibus disputabimus.

CAPUT I.

De lapidum venerationis ratione ac natura apud Graecos.

§ 2. De saxis rudibus sive quodammodo in formam aliquam constructis in libro primo iam locuti sumus: quae a quovis symbolismo aliena, temporibus priscis, partim saltem, altaria totemistica fuisse non est incredibile[1]; partim autem alias ob causas adorari videntur, velut ob formam singularem, aut quia de coelo delapsa sunt.

§ 3. Haec omnia Graecos quoque priscos ad venerationem perduxisse verisimile est; quod ad postremam causam attinet, tantum abest ut sit dubitandum, num revera aërolithi apud Graecos adoratione gavisi sint, ut scriptores antiqui disertis verbis id ipsum nos doceant. Plutarchus[2]) loquitur de aërolitho ad Aegos Potamos divino honore dignato, et Plinius dua eiusmodi saxa commemorat, quae Abydi et Cassandriae colebantur[3]).

Aërolithos temporibus priscis quoque venerationi fuisse non est quod miremur; sed praeterquam quod de coelo delapsi erant aliud quid iis etiam maiorem divinitatem attribuebat. Qui enim de veterum litholatria scripserunt, Münter[4]) Dalberg[5]) Bösigk[6]) Overbeck[7]) alii, aërolithorum cultum

---

1) Vide Lib. I. § 30.

2) Plut. Lys. 12, vide Lib. II § 72.

3) Plin. H. N. II 59, vide supra Lib. II §§ 73 sq.; cf. Falconnet, Dissert. sur les baetyles, Mém. de l'Acad. des Inscr. t. VI; Bötticher, Ideen. z. Kunstmythol. II pp. 15—19; Lenormant, Daremb. et Saglio s. v. Baetylia p. 642; Schreiber, Roscher M. L. s. v. *βαίτυλος*.

4) Münter, Ueber die vom Himmel gefallenen Steine (1805).

5) Von Dalberg, Ueber Meteorkultus der Alten (1811).

6) L. Bösigk, de Baetyliis (1854).

7) Overbeck, Ueber das Cultusobject bei den Griechen in seinen ältesten Gestaltungen, Ber. d. Sächs. Ges. d. W. 1864 pp. 121 sqq.

cum astrorum veneratione, quae sabaeismus vocari solet, quaeque totum per orientem latissime patuit, consociare student. Neque iniuria, nam lapides animatos, *λίθους ἐμψύχους*, quos Sanchoniathon in fragmento in Praeparatione Evangelica asservato memorat [1]), a veteribus stellas de coelo delapsas habitas esse ex eodem Eusebii libro [2]) apparet: „*Ἀστάρτη ηὗρεν ἀεροπετῆ ἀστέρα, ὃν καὶ ἀνελομένη ἐν Τύρῳ τῇ ἁγίᾳ νήσῳ ἀφιέρωσεν.*" Lapides igitur ardentes, qui e nubibus deciderant, stellae exstinctae habebantur; neque fortasse Bösigk errat, stellas, quas insuper lapidibus in nummis excussis saepius videamus, nihil aliud significare perhibens quam vel affinitatem saxorum cum astris a veteribus creditam, vel ipsum illum honorem divinum, quem Graeci et Romani pariter ac populi orientales iis habuerint [3]).

Attamen idem mihi optime observasse videtur, eiusmodi litholatriae explicandae rationem — quam Münter et alii sequuntur — non ad omnes locos de lapidum cultu nobis traditos pertinere, sed tantum in ea singula exempla adhibendam esse, quae diserte a scriptoribus äerolithi declarentur [4]). Nam aliae quoque res, velut simulacra lignea [5]), truncos [6]), ancilia, de coelo decidisse veteres fabulantur; quocirca non omnes lapides, quos de coelo delapsos ideoque cultos esse indicent, aërolithos fuisse necessarium est.

---

[1]) In Sanchoniathonis fragmentis, a Philone Byblio Graece versis, F. H. G. III p. 568: „*Ἔτι δέ, φησιν, ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος.*"

[2]) Euseb. Praep. Evang. I 10.

[3]) De Baetyliis p. 45. [4]) Ibidem.

[5]) *ξόανα διιπετῆ*, velut Artemis Taurica (Eurip. Iph. Taur. 951); Artemis Ephesia (Act. Apost. XIX 35); Polias Attica (Paus. I 26, 7); Palladium Troicum (Apollod. III 12, 3).

[6]) Paus. IX 12, 4, vide supra Lib. II § 90.

§ 4. De ceranniis, quae fulmine in terram deiectae esse credebantur, a veteribus pariter ac ab hodiernis populis incultis adoratis, in libro primo iam sermo factus est; Plinius eas commemorat [1]).

§ 5. Diversas igitur causas iam enumeravimus, quae apud antiquos lapidum cultum peperisse videntur; sed nondum ad finem pervenimus. Graeci enim et Romani agrorum praediorumque limites, vias quoque et compita, lapide vel stipite defosso denotare solebant, quem morem cum multis populis habuere communem. Iam antiquissimis temporibus lapides pro terminis positos esse Homerus nos docet [2]):

ἣ δ'ἀναχασσαμένη λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
κείμενον ἐν πεδίῳ, μέλανα, τρηχύν τε μέγαν τε,
τόν ῥ'ἄνδρες πρότεροι 'θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Hoc quidem loco de eiusmodi lapidum cultu, apud Romanos usitatissimo [3]), nihil legimus. Apud alium tamen scriptorem Graecum, multo posteriorem, lapidum in compitis collocatorum venerationem memoratam invenimus; Theophrastus [4]) enim, de homine superstitioso loquens: „*καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων,* inquit, *τῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν, καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας, ἀπαλλάττεσθαι.*" Fortasse igitur apud Graecos quoque lapides et stipites in agris pro terminis positi adorabantur; quamquam scriptores eiusmodi rem nobis non tradiderunt. Plato [5]) quidem dicit, *Διὸς 'Ορίου* legem primam esse, et quodvis grande saxum potius movendum censet

---

[1]) Plin. H. N. XXXVII 51, vide Lib. I § 33.
[2]) Iliad. *Φ* 403 sqq.
[3]) Vide infra § 39.
[4]) Theopr. Char. 16.
[5]) Leg. VIII 842 (Didot II 112).

quam parvum lapidem limitis indicem atque iure iurando a diis firmatum, sed de veneratione iis tributa nullus apud eum sermo fit. Quocirca Graecos terminos adorasse cum Zoëga [1]) et Boesigkio [2]) pro certo statuere non ausim, quamquam credibile esse re vera talem superstitionem apud eos viguisse non nego; nam Romanorum usus et Theophrasti de lapidum in compitis collocatorum adoratione hancce coniecturam probabilem reddunt. Minime tamen Zoëgae de talis venerandi generis origine assentior, quippe qui terminos eam tantum ob rem sacros habitos affirmet, quod omnium interesset, ne frangerentur neve loco moverentur [3]).

Quo modo superstitionem priscam interpretans idem fecisse mihi videtur ac vir ille, qui equos posticae currus parti subiunxit; multo enim veri est similius, homines lapides tales loco movere non ausos esse, quia divinam quandam potestatem iis inesse putarent. Ruricola lapidem sive stipitem, in quo quamcumque ob causam putabat animum aliquem habitare, ut agrum suum tueretur atque a vicini aviditate defenderet mea quidem opinione in terra defigere solebat; aut, simulac lapis sive stipes agro impositus erat, certis ritibus genius quidam vocabatur, ut eum sibi sedem eligeret. Ita saltem caerimonias interpretandas censeo, quas in ponendis terminis homines antiquos observasse Siculus Flaccus testatur, qui in libro de agrorum conditionibus [4]): »Antiqui", inquit, »cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant, proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant.

---

1) Zoëga, De usu et origine obeliscorum pp. 194 sqq.
2) Bösigk, De baetyliis pp. 50 sqq.
3) Zoëga l.l. p. 197.
4) Rei agrariae auctores (ed. Goesius 1674) p. 5.

In fossis autem, in quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata caesa, facibus ardentibus iniectis fossa cooperati sanguinem instillabant, eoque thura et fruges iactabant; favos quoque et vinum aliaque, quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossa adiiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant; adiectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent. Tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant." Posterioribus temporibus *Ζεὺς Ὅριος* et Iupiter Terminus geniorum illorum munus suscepisse videntur.

§ 6. Sunt qui contendant Graecos saxa nonnulla veneratos esse pro monumentis certis locis collocata, ubi pugna gravissima aut aliud quid memorabile factum esset; Zoëga [1]) Bösigk [2]) alii hanc sententiam in medium protulerunt, neque aliter Max Müller [3]) opinatur, sed loci, quos afferunt, nihil tale indicant; vel enim nihil in iis de saxorum re vera pro monumentis positorum sanctitate traditur [4]), neque igitur inter lapides sacros habenda sunt, vel saxa prorsus a monumentis diversa commemorantur, quorum sanctitas posterioribus temporibus fabulis explicabatur: Megaris lapis coli credebatur quia Apollo lyram in eo deposuisset [5]); Athenis, quia Silenus in eo sedisset [6]); quas explicationes, postea inventas, nihil ad veram cultus originem pertinere nemo non videt. Itaque illi lapides, a Zoëga ceterisque ad

---

[1]) Zoëga l.l. pp. 194 sqq.
[2]) Bösigk l.l. pp. 49 sq.
[3]) Max Müller, The Origin and Growth of Religion p. 99.
[4]) Paus. VIII 13, 3; X 5, 4.
[5]) Paus. I 42, 2; vide supra Lib. II § 54.
[6]) Paus. I 23, 5; vide supra Lib II § 57.

opinionem suam confirmandam allati, pro monumentis quidem sed non sacri, hi autem sacri sed non pro monumentis fuerunt. Nolimus igitur venerationem pristinam eo modo interpretari; loca quidem, ubi pugna celebris quaedam aut aliquid aliud memoria dignum factum erat, rudibus saxis fortasse ligneisve truncis erectis indicabantur, sed monumenta illa minime sacra habebantur; nam ad loca ipsa, non ad monumenta posterorum reverentia pertinebat.

§ 7. Quod ad lapides attinet ab hominibus forma conoidica sive pyramidali instructos, eos mea sententia a quovis symbolismo alienos neque igitur divinae procreationis symbola fuisse iam in libro primo dixi [1]).

CAPUT II.

De stipitum venerationis ratione ac natura apud Graecos.

§ 8. De stipitum quoque venerationis indole supra iam mentio facta est [2]). Bötticher [3]) et Overbeck [4]) putant eam ex arborum cultu ortam esse, cui opinioni non nisi partim faveo.

Licet enim simulacra lignea, quae *ξόανα* vocabantur, saepius ex arborum sacrarum ligno facta fuerint, non tamen video, cur stipites arborum tantum sanctitati venerationem debuisse statuamus. Commemorantur quidem a scriptoribus antiquis arborum sacrarum reliquiae in templis asservatae

---

[1]) Vide supra Lib. I § 28.

[2]) Vide Lib. I § 35.

[3]) Baumkultus der Hellenen cap. XVI, pp. 16, 40, 104.

[4]) Cultusobject p. 140: „Dass die anikonischen hölzernen Cultobjecte, Pfähle, Klötze und Bretter, und dass die ältesten ikonischen Xoana aus dem Baume sich entwickeln, eine Thatsache welche durch Bötticher auf das klarste bewiesen und auseinander gesetzt ist, enthält den letzten aber nicht den schwächtsten Beweis dafür u. s. w.

atque adoratae [5]), sed permultis aliis stipitibus idem honor attribuebatur, qui ad arbores sacras quodammodo pertinere nusquam traduntur. Quid enim de stipitibus pro terminis positis dicamus — nam licet dubitare possimus num apud Graecos re vera venerationi fuerint termini, Romanos certe eos coluisse multi scriptores nos docent —, quid de Dionysi Cadmei ligno de coelo delapso [2]), de *Ἥρας* pluteo [3]), de *Διοσκούρων δοκάνοις* [4]), de Agamemnonis hasta [5]) multisque aliis lignis adoratis? Num omnium illorum cultus ex arborum veneratione effluxisse cum Boettichero perhibeamus? Populorum incultorum superstitiones nos aliud quid docere in libro primo vidimus [6]). Quocirca apud Graecos quoque non omnes stipitum cultus ex arborum adoratione emanasse videntur.

CAPUT III.

De arborum et animalium veneratione fortasse ad mortuorum cultum pertinente apud Graecos.

§ 9. Hisce pertractatis iam ad arborum et animalium venerationem transeamus. Inter varias causas, quae homines ad arbores sive animalia adoranda perduxerunt atque adhuc perducunt, mortuorum cultum supra [7]) enumeravi;

---

[1]) Cf. Paus. IX 19, 7; vide supra Lib. II § 118.
[2]) Paus. IX 12, 4; vide supra Lib. II § 90.
[3]) Clem. Alex. Protr. IV 46; Euseb. Praep. Evang. III 8; vide supra Lib. II § 84.
[4]) Plut. de Fratr. Am. 1; Eustath. ad Iliad. P 744; vide supra Lib. II § 93.
[5]) Paus. IX 40, 11; vide supra Lib. II § 94.
[6]) Vide Lib. I § 35.
[7]) Vide Lib. I § 11.

quem etiam in Graecorum eiusmodi superstitionibus partes quasdam egisse mihi non incredibile videtur. Graecos enim, qui post Homeri tempus vivebant mortuos magna pietate veneratos esse nemo nescit; sed etiam ante Homeri aetatem cultum illum in Graecia floruisse ex ipsis eius vestigiis apud Homerum repertis ostendit Rhode[1]); magnamque re vera probabilitatem habet Rhodii opinio, nam fere nulla veneratio tantopere per totum orbem terrarum divulgata est, quippe quae cum apud omnes fere populos incultos, tum apud priscos homines, eosque Graecis cognatos — Indos, Persas, Germanos dico — reperiatur; neque mirum, nam, ut iam supra vidimus[2]), ipsa perceptio illa, animum a corpore esse distinguendum, animismi origo esse videtur. Admodum igitur verisimile est, Graecos priscos mortuos suos coluisse, quia potestatem in homines sive in bonam sive in malam partem eos habere cogitarent; qua autem ratione talem honorem iis attribuerint ex ipsis sepulcris antiquissimis apparet; sacrificia enim in iis sive supra ea facta esse reliquiae indicant. Ubique autem in Graecia eodem modo mortuos cultos esse non est cur credamus; nam, ut iam dixi, optime potest fieri ut nonnullis in regionibus Graecis mortuorum animi in alia corpora transire putati sint. Si enim Indi hodierni et Melanesii[3]) animalium et plantarum universa genera colunt, quia in iis maiorum suorum animos habitare putant, qua re apud Graecos quoque eiusmodi venerationes non eandem originem habere potuerint?

---

[1]) E. Rhode, Psyche I[2] 1—67.
[2]) Vide Lib. I § 1.
[3]) Vide supra Lib. I § 11.

CAPUT IV.

De totemismi vestigiis apud Graecos.

§ 10. Cum mortuorum cultu aliam superstitionem, totemismum volo, quam artissime cohaerere videri in libro primo[1]) animadvertimus; de cuius vestigiis apud Graecos iam fusius agam. Nam re vera apud priscos Graecos aliquando totemismum viguisse ex indiciis haud paucis, si quid video, colligi potest.

A. DE SACERDOTIBUS DEOS REPRAESENTANTIBUS.

§ 11. Et primum quidem huc pertinet quod sacerdos Graecus haud raro animalis pelle indutus deum repraesentabat, quam rem in totemorum cultores cadere supra demonstravi[2]).

Universe sacerdotes saepius deorum vice functos esse, ita quidem, ut dei sive deae, cuius sacris praeessent, forma induti diebus sollemnibus sese hominibus ostenderent, pluribus veterum locis affirmatur[3]). Sic apud Polyaenum[4]) legimus: *τῆς Ἀθηνᾶς ἡ ἱέρεια κατὰ τὸ νόμιμον ἐκείνης τῆς ἡμέρας πανοπλίαν ἔχουσα καὶ τρίλοφον κράνος ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν παρθένων κ. τ. λ.*

In Scholiis in Aristidem[5]): *ἐν ταῖς πομπαῖς ὁ μὲν Διονύσου, ὁ δὲ Σατύρου, ὁ δὲ Βάκχου ἀνελάβετο σχῆμα.* Apud Tertullianum[6]): »Cur rapitur sacerdos Cereris, si non tale Ceres passa est?”

---

[1]) Lib. II § 11. [2]) Vide Lib. I § 6.

[3]) Cf. F. Back, De Graecorum caerimoniis in quibus homines deorum vice fungebantur.

[4]) Polyaen. Strateg. VIII 59.

[5]) Schol. Arist. III 22. [6]) Tertull. Adv. Gent. II 7.

Cf. Paus. VIII 15, 3: *καὶ ἐπίθημα ἐπ' αὐτῷ περιφερές ἐστιν, ἔχον ἐντὸς Δήμητρος πρόσωπον Κιδαρίας· τοῦτο ὁ ἱερεὺς περιθέμενος τὸ πρόσωπον ἐν τῇ μείζονι καλουμένῃ τελετῇ ῥάβδοις κατὰ λόγον δή τινα τοὺς ὑποχθονίους παίει*[1]).

In patera quadam ahenea Cypria[2]) *'Αφροδίτην* in solio sedentem conspicimus chorumque sacerdotum, quae toto habitu atque capillis promissis deae tam similes sunt, ut Holwerda[3]) eas deam ipsam repraesentare admodum probabiliter coniecisse mihi videatur.

§ 12. Itaque, si sacerdotes deorum vice fungebantur, eorum specie induti, magna cum probabilitate coniicere possumus, eos sacerdotes, qui *ταῦροι, τράγοι, ἄρκτοι, πῶλοι* vocarentur, priscis quidem temporibus diebus sollemnibus deos horum animalium formis indutos repraesentasse. Quam ob rem Wide[4]) optimo iure affirmasse mihi videtur, nomina sacerdotum illa deorum formas pristinas indicare, praesertim quia aliae res hanc opinionem confirmant. Neque minus recte Cook[5]) ex iis, quae scriptores et monumenta veterrima de more animalium personas sive pelles induendi nos docent, tempore Mycenaeo asini, leonis, tauri, cervi, equi, caprae, suis venerationem quam maxime viguisse effecit. Quod ad sacerdotum nomina attinet, ea re vera deorum formas significare e fabulis sive e deorum ipsorum cognominibus apparet.

Apud Hesychium haecce legimus:

---

[1]) Vide Creuzer, Symb. II 522; M. Mayer, Jahrb. VII (1892) pp. 189 sqq.

[2]) Holwerda, Die alten Kyprier in Kunst und Kult tab. VII 20; Cesn. St. tab. IX; Cecaldi tab. VII.

[3]) Holwerda, l.l. pp. 33 sq.

[4]) S. Wide, Lak. Kulte p. 79, 1.

[5]) A. B. Cook, Animal Worship in the Mycenaean age, Journal of Hellenic Studies XIV (1898) pp. 81—169.

Ταῦρος· Ταύρειος, ὁ Ποσειδῶν [1]).

Ταυρία· ἑορτή τις ἀγομένη Ποσειδῶνος.

Ταῦροι· οἱ παρὰ Ἐφεσίοις οἰνοχόοι.

Athenaeus nos haec docet: *Παρὰ Ἐφεσίοις οἱ οἰνοχοοῦντες ἤθεοι τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἑορτῇ ταῦροι ἐκαλοῦντο.*

Deus igitur ipse taurus fuit, eiusque sacerdotes tauri nuncupabantur.

§ 14. Athenis virgines, quae certis quibusdam ritibus *Ἀρτέμιδι Βραυρωνίᾳ* dedicabantur, *ἄρκτοι* vocabantur; de quibus Suidas haec dicit:

Ἄρκτος ἢ Βραυρωνίοις· ἀρκτευόμεναι γυναῖκες τῇ Ἀρτέμιδι ἑορτὴν ἐτέλουν, κροκωτὸν ἠμφιεσμέναι, οὔτε πρεσβύτεραι ι̇ ἐτῶν οὔτε ἐλάττους ἑ, ἀπομειλισσόμεναι τὴν θεόν· ἐπειδὴ ἄρκτος ἀγρία ἐπιφοιτῶσα διέτριβεν ἐν τῷ δήμῳ Φλαυιδῶν· καὶ ἡμερωθεῖσαν αὐτὴν τοῖς ἀνθρώποις σύντροφον γενέσθαι. παρθένον δέ τινα προσπαίζειν αὐτῇ, καὶ ἀσελγαινούσης τῆς παιδίσκης παροξυνθῆναι τὴν ἄρκτον, καὶ καταξέσαι τῆς παρθένου. ἐφ' ᾧ ὀργισθέντας τοὺς ἀδέλφους αὐτῆς κατακοντίσαι τὴν ἄρκτον, καὶ διὰ τοῦτο λοιμώδη νόσον τοῖς Ἀθηναίοις ἐμπεσεῖν. χρηστηριαζομένοις δὲ τοῖς Ἀθηναίοις εἶπε λύσιν τῶν κακῶν ἔσεσθαι, εἰ τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ποίνας ἀρκτεύειν τὰς ἑαυτῶν παρθένους ἀναγκάζουσι. καὶ ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι μὴ πρότερον συνοικίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ.

Idem s. v. *Ἀρκτεῦσαι: .... καὶ γὰρ αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι ἄρκτοι καλοῦνται.*

Cf. Harpocr. et Bekkeri Anecd. 444 s.v. *Ἀρκτεῦσαι*, Hesych. s. v. *Ἀρκτεῖα.* Licet fabula a Suida commemorata ad ritus interpretandos inventa esse videatur, ex ea tamen clare apparet, virgines dedicationis die sollemni ursarum formis

---

[1]) Cf. Hesiod. Scut. 104: *ταύρεος Ἐννοσίγαιος.*

[2]) Athen. X 25.

indutas fuisse, ut ursam illam divinam, i. e. deam ipsam, imitarentur. In Arcadia quoque ursam ad Ἄρτεμιν pertinuisse e fabula de Callistus transformatione efficere possumus.

§ 15. De Δήμητρος sacerdotibus Porphyrius [1]) haec tradit: *Καὶ τὰς Δήμητρος ἱερείας ὡς τῆς χθονίας θεᾶς μύστιδας μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν αὐτήν τε τὴν Κόρην μελιτώδη.* Cf. Hesych. s. v. *Μέλισσαι*, Callim. Hymn. in Apoll. 110: *Δηοῖ δ'οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι.*

In inscriptione Laconica (C. I. G. 1449) Δήμητρος et Κόρης sacerdos „*πῶλος τοῖν ἁγιωτάτοιν θεοῖν*" nuncupatur.

Quod ad Δήμητρα attinet, eam formam equinam habuisse e simulacro illo Phigalensi [2]) et e fabulis Arcadicis [3]) apparet.

§ 16. »Apium reges" Ephesii quoque huc afferendi sunt, de quibus Pausanias [4]) nos haec docet: *τοιαῦτα οἶδα ἕτερα ἐνιαυτὸν καὶ οὐ πρόσω Ἐφεσίων ἐπιτηδεύοντας τοὺς τῇ Ἀρτέμιδι ἱστιάτορας τῇ Ἐφεσίᾳ γινομένους, καλουμένους δὲ ὑπὸ τῶν πολιτῶν Ἐσσῆνας.* Cf. Schol. in Callim. Hymn. in Iov. 66: *Ἐσσὴν κυρίως ὁ βασιλεὺς τῶν μελισσῶν.* Et. M.: *Ἐσσὴν, ὁ βασιλεὺς κατὰ Ἐφεσίους.* Hesych.: *Ἐσσῆνες, μάντεις.* In nummis Ephesiis apis frequenter conspicitur [5]); nec dubito quin horum animalium veneratio ibi viguerit deamque ipsam apem esse Ephesii prisci crediderint.

§ 17. Apud Hesychium s. v. *πωλία* legimus: *χαλκοῦν πῆγμά τι. φέρει δὲ ἐπὶ τῶν ὤμων τὰς τῶν Λευκιππίδων πώλους· δύο δὲ εἶναι παρθένους φασίν.* Potest fieri ut *πῶλοι* illae Leucippidum sacerdotes fuerint (quod Wide [6]) dubitanter

---

[1]) Porph. de Antro Nymph. 18.
[2]) Paus. VIII 42, 3, vide Lib. II § 263.
[3]) Vide Lib. II ibidem.
[4]) Paus. VIII 13, 1.
[5]) Vide Lib. II § 271.
[6]) Lak. Kulte p. 331.

coniecit); quod si verum est, Leucippides ipsae equae fuisse videntur.

B. De hostiis sacris.

§ 18. Alterum indicium cur priscis Graecis totemismum attribuamus est quod apud Graecos animal, quod deo alicui prae ceteris sacrum esset, huic deo sacrificari solebat; animal enim divinum mactabatur sicut totemum ipsum mactari supra vidimus [1]). Talium igitur hostiarum exempla afferam.

§ 19. Inter deorum supremorum cognomina, ad animalium cultum pertinentia, de quibus infra agam [2]), sunt quae hostias iis diis immolatas indicent, velut *Ἥρα Αἰγοφάγος* [3]), *Ἄρτεμις Καπροφάγος* [4]), *Διόνυσος Ταυροφάγος* [5]), *Κριοφάγος* [6]). Dicat quispiam haec nomina ad sacrificia tantum pertinere, neque huc afferenda esse; sed qui eiusmodi opinioni favet, vehementer errat; singula enim animalia singulis diis sacrificata, artiore quadam ratione cum ipsis diis illis coniuncta fuisse, quin etiam olim eos repraesentasse exemplis compluribus ostendi potest. *Διόνυσον* enim taurum fuisse nemo, opinor, negaverit: Athenaeo [7]) teste Cyzici in tauri speciem effictus erat; Elide sic invocabatur: „*ἄξιε ταῦρε κ. τ. λ.*" [8]); Argis *Βουγένης* vocabatur [9]);

---

[1]) Vide Lib. I § 5, § 30.

[2]) Vide infra §§ 74—78.

[3]) Paus. III 15, 9; Hesych. s. *Αἰγοφάγος;* Nicandr. fr. 29 Schneider; Et. M. 27, 51 Gaisford.

[4]) Hesych. s. *Καπροφάγος.*

[5]) Hesych., Suid., Et. M. s. v.; Schol. Ar. Ran. 357.

[6]) Hesych. s. v.: *θεός τις, ᾧ κριοὶ θύονται.*

[7]) Athen. XI 51, vide Lib. II § 255.

[8]) Plut. Qu. Gr. 36, vide Lib. II l.l.

[9]) Plut. Is. et Os. 35, vide Lib. II l.l.

in Macedonia Bacchae cornua in capite gestabant, ut *Διόνυσον* imitarentur[1]; eidem deo *Ταυροφάγον* epitheton fuisse iam diximus. *Ἀσκληπιῷ*, ipsi serpenti[2]), serpentes, *Ἑκάτῃ*, ipsi cani[3]), canes[4]) sacrificabantur. *Ποσειδῶνι*, ipsi equo[5]), equos mactabant, sive potius in lacum quendam demittebant Argivi, teste Pausania[6]): „*τὸ δὲ ἀρχαῖον καὶ καθίεσαν ἐς τὴν Δίνην τῷ Ποσειδῶνι ἵππους οἱ Ἀργεῖοι κεκοσμημένους χαλινοῖς.*" *Διονύσῳ*, cui nomen erat *Ἔριφος* sive *Ἐρίφιος*, a patre *Διὶ* in haedum mutato[7]), caproque facto ut Typhoea effugeret[8]), caprae immolabantur; quod ideo fieri putabant, quia caprae vitibus nocerent[9]); de eodem deo Euripides[10]) haec dicit: „*ἀγρεύων αἷμα τραγοκτόνον, ὠμοφάγον χάριν.*" *Ἥρα*, quae Spartae *Αἰγοφάγος*[11]) vocabatur, in thymiatherio aheneo pelle caprina ita induta, ut animalis caput et cornua deae caput tegant, conspicitur[12]). Quibus omnibus perpensis plane Frazerio[13]) assentior, deos, qui certum quoddam animal edere crederentur, priscis temporibus ipsos eiusmodi animalia fuisse; quin etiam mihi persuasum est, ubicumque certa quaedam

---

[1]) Schol. Lycophr. 1237, vide Lib. II l. l.
[2]) Vide Lib. II § 230.
[3]) Porph. de Abstin. III 18, Eustath. ad Odyss. γ 274; vide Lib. II § 267.
[4]) Schol. Ar. Pac. 277; Paus. III 14, 9; Iulian. Or. V p. 176; vide Lib. II § 287.
[5]) Vide Lib. II § 263.
[6]) Paus. VIII 7, 2.
[7]) Apollod. III 4, 3.
[8]) Ov. Met. V 329; Anton. Lib. 28.
[9]) Varr. R. R. I 2, 19; Virg. Georg. II 380; Serv. ad eundem locum; Serv. Aen. III 118; Ovid. Fast. I 353; Metam. XV 114 sq.; Cornut. De natura deorum 30.
[10]) Bacch. 138 sq.
[11]) Vide supra Lib. III § 19.
[12]) Müller—Wieseler, Denkm. I 299 b.
[13]) Golden Bough I 328.

animalia deo alicui immolarentur, deum ipsum olim eadem forma indutum fuisse[1]).

§ 20. Nonnullis in ritibus sacerdotis fuga, postquam hostiam immolavit, ipsum deum necatum esse significare videtur: velut Tenedi, ubi vitulo in *Διονύσου* honorem necato lapides in sacerdotem fugientem coniiciebantur[2]), et Athenis, ubi in caerimonia illa, quae *Βουφόνια* vocabatur, sacerdos, cui nomen *βούτης* sive *βουφόνος*[4])[3]), bove *Διὶ Πολιεῖ* immolato fugiebat, axiaque condemnabatur[5]). De *Βουφονίων* sensu viri docti dissentiunt[6]), sed bovem illum dei ipsius partes egisse e tota caerimonia clare apparet[7]).

---

[1]) Spartae catulus *Ἐνυαλίῳ* sacrificabatur (Paus. III 14, 9, Plut. Qu. Rom. 111), ad Bryseas, urbem Laconiae, *Ἡλίῳ* equi (Paus. III 20, 4), quos tamen plerumque diis aquarum sive inferis immolabant (Hom. *Φ* 132, Paus. III 20, 9, VIII 7, 2; Plut. Pelop. 22); cervi *Ἀρτέμιδι,* ipsi olim cervae, postea *Ἐλαφηβόλῳ* pro hostiis erant (cf. fabulam de Iphigenia agentem) (Bekker Anecd. p. 249); catuli lupini et ursini *Ἀρτέμιδι Λαφρίᾳ* Patris, in urbe Achaiae (Paus. VII 18, 12); formicae *Ποσειδῶνι Ἰσθμίῳ* (Aen. Gaz. 27); porcae *Δήμητρι* et *Κόρῃ* (Schol. Ar. Ach. 747; id. Ran. 338; id. Pac. 374; Ael. N. A. X 16; Serv. Virg. Georg. II 380; Hygin. Fab. 277; Cornut. De nat. deor. 28; Macrob. Sat. I 12, 23; cf. Frazer G. B. II 44 sqq., et II 26 sqq. de animo frumentario forma porcina induto.

[2]) Ael. N. A. XII 34.

[3]) Hesych. s. v. *βούτης;* cf. C. I. A. II 1656.

[4]) Paus. I 28, 10.

[5]) Paus. I 24, 4; 28, 10; Porph. De Abstin. II 9, 28 sqq.; Schol. Ar. Nub. 985; Schol. Hom. *Σ* 83; Suid. s. v. *Διὸς ψῆφος;* Hesych. s. v. *Διὸς θᾶκοι.*

[6]) Vide Mannhardt, Mythol. Forsch. 68 sqq.; Rob. Smith, Rel. of the Sem. 304 sqq.; Frazer, Golden Bough II 38, 41; Prott, Rhein. Mus. 1887, 187 sqq.; Stengel ib. 399 sqq.; Farnell, Cults of Greek States I 56, 58, 88 sqq.; Mommsen Heortologie[2] 512 sqq.; Gruppe, Gr. Myth. I 29; Hubert et Mauss, Essai sur le sacrifice, Année social. 1898, 107 sqq.

[7]) De deo ipso immolato cf. Mannhardt W. F. K. 160; Frazer, G. B. I 213 sqq., II 1 sqq.; Jevons, Introd. to Hist. of Rel. 216, 231, 255, 291 sqq.; Grant Allen, The evolution of the Idea of God, cap. X sqq.; Liebrecht, Der aufgefressene Gott, zur Volkskunde 436, 439; Goblet d'Alviella, Les rites de la moisson, Rev. Hist. Rel. 1898 II 1 sqq.; Robertson Smith, Encycl. Britt. s. v. Sacrifice, Rel. of Sem. 414 sqq.; Hubert et Mauss, Année Sociol. 1898, 116 sqq.

§ 21. Deus autem sibi ipsi sacrificatus nobis totemismum in memoriam reducit [1]); totemi enim ipsius sanguis sollemnibus diebus super aram effunditur, ut deus aram intret, hominesque sese artius cum eo coniungant; ubicumque totemismi vigor oppressus est, animal illud adhuc mactatur, sed, ritus vero sensu in oblivione iacente, pro dono diis offertur. Totemismo igitur attribuendum censeo artum illud vinculum, quod inter deos et hostias iis immolatas in Graecia exstitisse animadvertimus.

§ 22. Sine dubio sacris animalibus nonnumquam quoque ob id ipsum quod sacra erant parcebant; parva enim hominum in talibus rebus constantia est.

Ἀθηνᾷ v. c. capra sacra fuisse videtur, immo ipsa dea fortasse priscis temporibus forma caprina induta fuit; aegis enim, quam gestabat, hoc indicare videtur, et praeterea nomina *Αἰγεύς*, *Αἰγεῖδαι*, *Αἰγηίς* [2]), *Αἴγινα*, *Αἰγάλεως* *κ. τ. λ.* caprarum cultum in Attica viguisse ostendunt [3]). Apud Athenaeum autem legimus, capras *Ἀθηνᾷ* immolare non licuisse [4]).

Ἀφροδίτῃ sues sacrificare vetitum erat [5]); dignum autem est quod observetur, Argis eandem deam iis hostiis gavisam esse, teste Callimacho: *„Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗν θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια.“* [6])

Ἥρᾳ ex omnibus Graecis Spartani soli capras sacrificabant, deamque ipsam *Αἰγοφάγον* nuncupabant [7]); ubicumque

---

[1]) Vide Lib. I § 30.
[2]) Vide infra § 24.
[3]) Cf. Cook l.l. p. 150.
[4]) Athen. XIII 51.
[5]) Arist. Acharn. 793; Paus. II 10, 5; Aesop. Fab. 230.
[6]) Apud Athen. III, 49. Cf. Strab. IX, p. 669.
[7]) Paus. III 15, 9.

igitur in Graecia *Ἥρᾳ* capras sacrificare non licebat, Spartae contra iis hostiis solis gaudebat.

Fortasse etiam huc pertinet, quod *Ἀσκληπιῷ* Phocensibus quamque hostiam praeter capras immolare licebat [1]), et quod *Διὶ* caprae mactabantur [2]) (cf. fabulam Cretensem de capra Amalthea), oves contra non accipiebat [3]).

C. De universis animalium speciebus adoratis.

Totemismo, ut vidimus [4]), hoc peculiare est quod non singula animalia sed universae animalium sive plantarum species adorantur. Iam tertio loco huius quoque superstitionis in Graecia exempla proferam.

In Thessalia ciconias [5]), et formicas [6]), Thebis mustelas [7]), Hamaxiti mures [8]), in Acarnania muscas [9]), Argis serpentes [10]), Troezene polypos et testudines [11]), in Creta sues [12]), aliisque in regionibus alia animalia, omnia supra [13]) enumerata. venerationi fuisse scriptores antiqui testantur. Athenis lupi sepeliebantur [14]), Seriphii cicadas marinas eodem honore afficiebant atque lamentabantur [15]), ut Sa-

---

[1]) Paus. X 32, 12.
[2]) Aristot. Eth. Nic. V 7, 1.
[3]) Aristot. Eth. Nic. IX 2, 6.
[4]) Vide Lib. I § 5.
[5]) Cl. Al. Protr. II 40 etc. Vide Lib. II § 215.
[6]) Cl. Al. l.l., vide Lib. II § 217.
[7]) Cl. Al. l.l., vide Lib. II § 216.
[8]) Cl. Al. l.l., Ael. N. A. XII 5, vide Lib. II § 218.
[9]) Cl. Al. l.l., Ael. N. A. XI 8, vide Lib. II § 219.
[10]) Ael. N. A. XII 34, vide Lib. II § 221.
[11]) Athen. VII 103, vide Lib. II § 222.
[12]) Athen. IX 18, vide Lib. II § 223.
[13]) Lib. II §§ 215—229.
[14]) Et. M. 680, 21 Gaisf. s. v. *Πολιοὶ λύκοι*, vide Lib. II § 227; Schol. Ap. Rhod. II 124.
[15]) Ael. N. A. XIII 26, vide Lib. II § 229.

moënses hodierni noctuas mortuas, quas in viis iacentes reperiunt [1]).

D. De gentium et *δήμων* nominibus ad animalia sive plantas pertinentibus.

§ 24. Apud totemorum cultores gentes de ea specie animalium sive plantarum vocari solent, quam quaeque gens colit [2]). Quarto loco gentium Graecarum et *δήμων* Atticorum nomina ad animalia aut plantas pertinentia enumerabo.

Λυκομίδαι gens Attica fuit [3]); *Λυκόποδες* Alcmaeonidarum cognomen fuisse Hesychius testatur [4]). Lupi re vera in Attica adorati esse videntur, nam in Et. M. [5]) haec legimus: „*Καὶ παρ' Ἀθηναίοις ὁ ἀποκτείνας λύκον ἀγείρει αὐτῷ τὰ πρὸς ταφήν.*" *Λύκος* heros [6]) quoque luporum cultum significat: „*Λυκιάδες κόραι· τὸν ἀριθμὸν λ', αἱ τὸ ὕδωρ κομίζουσαι εἰς τὸ Λύκειον Ἀθηναίων*". [7]) *Ἀπόλλων Λύκειος* Athenis colebatur [8]).

Κυννίδαι alii genti Atheniensi nomen erat [7]), *Ἀπόλλωνος Κυννείου* [8]) sacerdotibus [9]), a *Κύννῃ* sive *Κυννίδῃ* heroe originem trahentibus [10]). *Κυνίδαι* et *Κύνειος* haec nomina scribenda mihi videntur; apud scriptores nunc una, nunc

---

[1]) Frazer, Totemism 14; Turner, Samoa 21.
[2]) Vide Lib. I § 6.
[3]) Hesych. s. v. *Λυκομίδαι· γένος ἰθαγενῶν*. Cf. C. I. A. II 1113, III 895; Paus. I 22, 7; Plut. Them. 1.
[4]) Hesych. s. v. *Λυκόποδες*; Suid. s. v.
[5]) Et M. 680, 21 s. v. *Πολιοὶ λύκοι*.
[6]) Vide Lib. II § 260.
[7]) Hesych. s. v.; cf. sacerdotum nomina supra Lib. III §§ 12—17.
[8]) Paus. I 19, 3; Lucian. Anach. 7; C. I. G. 466.
[7]) Hesych., Phot., Harpocr. s. v.
[8]) Vide infra Lib. III § 76.
[9]) Hesych. s. v.
[10]) Et. M. 545, 51 s. v.

duabus literis ν scripta sunt, neque magni momenti est inscriptio Corinthia[1]) duas literas ν exhibens, quam Töpffer[2]) affert ut neque hancce gentem neque deum quicquam ad canes pertinere probet. Quivis enim scit, saepius duas literas pro una sive unam pro duabus in inscriptionibus reperiri; potuit quoque fieri ut hoc nomen, temporibus posterioribus, cum eius verus sensus oblivione oppressus esset, duabus literis ν scriberetur. Utut est, cum canum veneratione hoc nomen gentile cohaerere credo; alia enim quoque vestigia talis superstitionis Athenis reperiebantur, velut *Ποσειδῶνος Κυνάδου*[3]) cultus, et *Ἀθηνᾶς* epitheton *Κυνεεία*[4]), et *Κυνόσαργες*[5]).

Alia gens a Plutarcho[6]) commemoratur, quae quidem non de asparagis vocabatur, nam nomen ei erat *Ἰωξίδαι* sive *Ἰωξίδες*, quae tamen asparagos patrio more adorabat: „*ὅθεν Ἰωξίδαις καὶ Ἰωξίσι πάτριον κατέστη μήτε ἄκανθαν ἀσφαραγον μήτε στοιβὴν καίειν, ἀλλὰ σέβεσθαι καὶ τιμᾶν.*"

Αἰγεῖδαι[7]), ab *Αἰγεῖ* originem trahentes, *Αἰγηὶς φυλή*[8]), *Αἰγεῖον*[9]) ad caprarum cultum pertinere supra iam diximus[10]).

Κορωνίδαι, quorum progenitori *Κόρωνος* nomen erat, ab Harpocratione[11]) commemorantur; O. Müller[12]), H. Sauppe[13]),

---

1) C. I. G. I 1102.
2) Att. Genealogie p. 303.
3) Hesych. s. v. *Κυνάδης*.
4) Hesych. s. v.
5) Hesych. s. v.
6) Plut. Thes. 8.
7) Dem. 60, 28.
8) Hesych., Suid. s. v.
9) Suid. s. v.
10) Vide Lib. III § 22; Thebis quoque (Pind. Pyth. V 75) et Spartae (Herod. IV 149) gens fuit, cui nomen *Αἰγεῖδαι*.
11) Harpocr. s. v.
12) Orchom. 198.
13) Or. Att. II 267.

W. Petersen [1]), Busolt [2]) saltem eos ita nuncupant, Töpffer [3]) contra iis *Κοιρωνίδαις* et *Κοιρώνῳ* nomina fuisse perhibet.

Φοίνικες ab Hesychio [4]) et Dionysio [5]) commemorantur. *Κριὸς* sive *Κριῶα*, demus Atticus, de *Κρίῳ* heroe vocatus [6]); *'Αλωπεκή*, alius demus Atticus [7]); *Κορυδαλλός* [8]) (= *κορυδός*, cf. Theocr. X 50, Hesych. s. v.), *Φηγαία* [9]), *Φηγοῦς* [10]), *Πτελέα* [11]), *Μυρρινοῦς* [12]), *'Ιτέα* [13]), *'Ερίκεια* [14]), *'Ραμνοῦς* [15]), *'Αχραδοῦς* [16]), omnes demi Attici, fortasse animalium et plantarum cultum totemisticum redolent.

Innumerae sunt regiones, urbes, pagi Graeci, de animalibus sive plantis vocati; quae nomina omnia ad cultus priscos pertinere non incredibile mihi videtur; in totemismo enim nomina tantas partes agunt, ut ea diu superstitioni illi superstitia fuisse probabiliter coniicere possimus.

§ 25. Praeter gentes et *δήμους* heroes quoque saepissime de animalibus vocabantur; quod fortasse etiam cum totemismo cohaeret, ad animalium cultum saltem pertinere mihi videtur [17]).

---

1) De Hist. gent. att. 7.
2) Gr. G. I 375.
3) Att. Gen. 104.
4) Hesych. s. v.
5) Dion. de Dion. 10.
6) Schol. Ar. Av. 645; Suid., Hesych., Harpocr., Steph. Byz. s. v.
7) Herod. V 63, Harpocr., Suid., Steph. Byz. s v.
8) Steph. Byz., Hesych. s. v., Theophr. apud Athen. IX 43.
9) Hesych., Suid., Steph. Byz. s. v.
10) Suid., Harpocr., Steph. Byz. s. v.
11) Steph. Byz. s. v.
12) Schol. Ar. Plut. 586, Paus. I 31, 4, Steph. Byz.
13) Hesych., Harpocr., Suid., Steph. Byz. s. v.
14) Steph. Byz. s. v.
15) Schol. Ar. Plut. 586.
16) Steph. Byz. s. v.
17) Vide infra § 79.

E. DE NUMMIS FREQUENTER ANIMALIA EXHIBENTIBUS.

§ 26. Apud totemorum cultores, ut supra diximus[1]), cuique genti totemum, quod adorat, pro signo est, ut in omnium gentilium casis scaphis armis depingatur. Quod igitur in complurium urbium Graecarum nummis animalia tam frequenter conspiciuntur[2]), ut pro certo statuendum sit, ea animalia urbibus illis pro signis fuisse, id mihi quintum indicium esse videtur, totemismum apud Graecos priscos viguisse; cuius rei exempla nonnulla huc afferam.

Nummi Athenienses noctuam exhibent; cf. *'Αθηνᾶς* epitheton *γλαυκῶπις*, quod a voce *γλαῦξ* derivandum esse e voce *βοῶπις* apparet, et proverbium: *γλαῦκ' ἐς 'Αθήνας*.

In nummis Argivis lupum frequenter conspicimus. Cf. *'Απόλλωνος Λυκείου* cultum ibi celebratum (Paus. II 19, Soph. Electr. 6), et Hesych. s. v. *Λύκειος ἀγορά· ἐν τῇ τῶν 'Αργείων*.

In nummis Ephesiis apis conspicitur. *'Αρτέμιδος* Ephesiae sacerdoti nomen *'Εσσήν* erat[3]).

Nummi Sicyonii columbam, Aeginetici testudinem, Agrigentini pagurum exhibent, quae signa fortasse omnia totemismum redolent.

F. DE MATERNA POTESTATE.

§ 27. Apud populos, qui totema venerantur, liberi in matris, non in patris potestate sunt, ut cum matre, non cum patre gentem habeant communem; quod supra

---

1) Vide Lib. I § 6.
2) Vide Lib. II § 271.
3) Vide supra Lib. III § 16.

exposui[1]). In Graecia quoque priscis temporibus liberos in matris potestate fuisse et de matre vocatos esse Varro[2]) testatur; quod si verum est, sextum fortasse hic habemus indicium cultuum totemisticorum apud Graecos.

G. De totemismi vestigiis apud ceteros populos Indo-Germanos.

§ 28. Haec igitur totemismi vestigia apud Graecos esse videntur; concedo ea levia esse dubitationique obnoxia; sed multae res parvae coniunctae vim quandam habent, quam ob causam libenter Frazerio[3]), Langio[4]), Jevonsio[5]), Cookio[6]), aliis assentior, totemismum apud Graecos priscos viguisse veri esse simillimum.

§ 29. Accedit quod eiusdem superstitionis vestigia apud ceteros quoque Indo-Germanos reperiri videntur. Quod ad Indos attinet, in eorum libris sacris veterrimis complura nomina gentilia leguntur, quae Macdonell[7]) et Oldenberg[8]) ad totemismum pertinere, dubitanter quidem, coniecerunt. Iranios quoque totemorum cultores fuisse e multis nominibus viri docti nonnulli, velut Caland[9]) et Jackson[10]),

---

1) Vide Lib. 1 § 5.

2) Apud Augustin. C. D. XVIII 9. Bachofen (Das Mutterrecht) manifeste probare sibi videtur, matriarchatum qui dicitur apud veteres quam maxime viguisse.

3) Totemism 94.

4) Myth, Ritual and Religion I 276 sqq.

5) Introd. to Hist. of Rel. 125 sq.

6) Cook l.l. 155 sqq.

7) Macdonell, Vedic Mythology p. 153.

8) Oldenberg, Die Religion des Veda pp. 85 sqq.

9) Haec omnia debeo benevolentiae v. dct. W. Caland, qui per litteras ea mecum communicavit.

10) In libro qui inscribitur „Zoroaster the profet of ancient Iran."

efficiunt; quin etiam nomen Zarathustra vocem astra (h. e. camelus) continere opinantur. Apud Romanos quoque nomina permulta totemismum redolere videntur; ad plantas enim haec pertinent: Cicero, Caepio, Lentulus, Stolo, Piso, Fabius, Cornelius (cornus); ad animalia: Corbulo, Merula, Vespasianus. Probabiliter igitur coniicere possumus, Indo-Germanos iam antequam in diversas regiones discederent totemorum cultores fuisse.

CAPUT V.

De animalium arborum saxorum cultu apud ceteros populos Indo-Germanos.

§ 30. Sed de verisimilibus ad res certas transeamus. De totemismo apud populos Indo-Germanos aliquis dubitaverit, animalium plantarum saxorum venerationem, qualiscumque fuerit, aliquando apud eos viguisse omni dubio maius est. Atque hoc quam maxime pertinet ad quaestionem solvendam utrum Graeci tales superstitiones a populis externis, imprimis Semiticis, acceperint aut a prioribus Graeciae incolis asciverint, an ipsi iam antequam in Graeciam venirent animalia plantas saxa venerati sint. Vulgo creduntur hi cultus Graecis non esse proprii, saxorum cultus imprimis a Semitis delatus esse existimatur, parum tamen iustas ob causas. Nam cum, ut vidimus, huiusce generis superstitiones apud nullos fere populos non viguerint, iam vix crediderimus hoc quod humanum esset a Graecis alienum fuisse. Sed imprimis ex re videri poterit de populis Graecis cognatis prius accuratius videre.

§ 31. In Vedis equi, tauri, boves, asini, canes, verres, testudines, simiae, aves, serpentes divini saepius comme-

morantur [1]; planta sacra, cui nomen Soma, deus factus est, plantarum rex atque tutela, qui omnes plantas genuit; simul fluviorum, orbis terrarum, deorum atque hominum rex, quin etiam luna esse credebatur [2]. Plantae et arbores excelsae deae vocantur, nec non animalia iis sacrificata esse legimus [3].

§ 32. Iraniorum quoque libri sacri animalium et plantarum cultum quodammodo redolent. Serpens [4], piscis [5], taurus [6] divini commemorantur; canes sacros fuisse e multis locis apparet; quicumque eos ferit aut male nutrit, ei poenae gravissimae imminent [7]. Planta sacra, quae Haoma [8] vocatur, nihil aliud est nisi Soma; sicut Soma, ita Haoma quoque plantarum rex nuncupatur, multasque alias res inter se communes habent [9].

§ 33. Apud Germanos arbores magna veneratione fruitas esse nemo nescit; iam Tacitus compluribus locis id nos docet [10]. Quod Maximus Tyrius, de Celtis loquens, dicit: „*Κέλτοι σέβουσι μὲν Δία, ἄγαλμα δὲ Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς*", id in Germanos quoque cadere Grimm affirmat [11]. Betulae betularumque virgae deo Donar sacrae erant [12].

---

[1]) Macdonell, Vedic Mythology pp. 147—153; de serpentum veneratione cf. Winternitz, der Sarpabali, ein altindischer Schlangencult (Wien 1888), Oldenberg l. l. pp. 69, 72, 84; de ceteris animalium cultibus vide Oldenberg pp. 68 sqq.

[2]) Macdonell, ib. pp. 104—114; Oldenberg pp. 175 sqq., 599 sqq.

[3]) Macdonell, p. 154; Oldenberg pp. 255 sqq.

[4]) Vendidad XXII 1, 2, Sacred Books of the East IV 230.

[5]) Vendidad XIX 2, 42. Sacr. Books IV 217; cf. IV 59, 4.

[6]) Vendidad XXI 1, 1, Sacr. Books IV 224; cf. Sacred Books XXIII 8, 16, 89, 245.

[7]) Vendidad XIII 1—10, Sacred Books IV 151 sqq.

[8]) Sacred Books IV, Introd. IV p. 69; IV 72; XXIII 12, 20, 47 etc.

[9]) Vide Macdonell, Vedic Myth. 113 sq.; Oldenberg pp. 30, 178.

[10]) Germ. 9, 39, 40, 43; Hist. IV 22 etc.

[11]) Deutsche Mythol. I³ 55.

[12]) Vide F. Kunze, Der Birkenbesen, ein Symbol des Donar, Internat. Archiv für Ethnographie XIII pp. 81 sqq.

Truncos informes quoque Germanos adorasse Ruodolfus Fuldanus, de Saxonibus loquens, testatur: »frondosis", inquit, »arboribus fontibusque venerationem exhibebant; »truncum quoque ligni non parvae magnitudinis in altum »erectum sub divo colebant, patria eum lingua Irminsul »appellantes, quod Latine dicitur universalis columna, quasi »sustinens omnia [1])."

Animalium sacrorum numerum ingentem affert Grimm [2]).

§ 34. Romanis arbores venerationi fuisse Bötticher abundanter ostendit [3]); Iupiter Fagutalis et Feretrius [4]) in fago et quercu sedem habebant; ficus Ruminalis [5]), Quirini cornus [6]), aliaeque arbores sacrae [7]) Romae colebantur.

Apuleius [8]): »Neque enim," inquit, »iustius religiosam »moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita, aut »spelunca frondibus, aut quercus cornibus onerata, aut »fagus pellibus coronata vel etiam colliculus sepimine con»secratus vel truncus dolamine effigiatus, vel caespes liba»mine humigatus, vel lapis unguine delibutus."

Animalia a Romanis priscis culta fuisse e vestigiis compluribus apparet, velut e fabula illa, quae lupam Romulo et Remo ubera praebuisse narrabat; lupus, picus, equus Marti, caper et capra Fauno et Iunoni sacri erant [9]); canis ad Faunos pertinere credebatur [10]). Aves omnes sacras

---

1) Grimm, D. M. I, 97.
2) D. M. II 546.
3) Baumkultus der Hellenen und Römer.
4) Bötticher 133.
5) Bötticher 31, 128 sqq.
6) Bötticher 130 sqq.
7) Bötticher 135 sq.
8) Apul. Flor. 1.
9) Preller-Jordan, R. M. I 115 sq.
10) Preller l. l.

fuisse Servius[1]) testatur: »Nulla enim avis caret consecratione, quia singulae aves numinibus sunt consecratae." Auspicium faciebant et quadrupedes et serpentes et aves[2]); in castris auspicia e tripudiis quam maxime valebant.

Anseres sacri circa Iunonis templum in Capitolio[3]), et in aliis quoque fanis nutriebantur[4]). Serpentes locorum genios habitos esse Persius[5]) testatur:

»Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra
»Meiite; discedo."

§ 35. Omnes igitur populi Indo-Germani animalia et plantas adoraverunt; quam ob causam mihi non dubitandum videtur, quin hasce superstitiones e communi patria secum tulerint[6]), neque iis assentior, qui Graecos eas a populis, qui ante eos in Graecia habitarent, ascivisse existimant.

§ 36. Neque aliter de lapidum cultu iudicandum censeo. Sunt qui perhibeant, Graecos eum a Semitis, praesertim a Phoenicibus, mutuatos esse[7]). Apud Semitas quidem hanc superstitionem quam maxime viguisse nemo infitias iverit, optimeque fieri potuit, ut Phoenices nonnumquam in Graecia eiusmodi cultum instituerent, sed id pro certo mihi statuendum videtur, Graecos priscos iam antequam in Graecia advenirent saxa rudia adorasse. Apud ceteros enim Indo-Germanos, praeter Persas, eiusdem cultus vestigia reperiuntur.

---

[1]) Serv. Aen. V 517.
[2]) Paul. p. 260, p. 244, cf. Preller-Jordan R. M. I 116 sq.
[3]) Plut. de Fort. Rom. 12.
[4]) Petron. Satyr. 136; Querol. 27.
[5]) Pers. I 113.
[6]) Accedit quod omnes homines incultos eiusmodi superstitiones habere communes anthropologorum studia nos docuerunt.
[7]) Overbeck, Kultusobject 146 sq.

§ 37. In Indorum libris sacris lapides sacri nonnumquam commemorantur[1]; in Iraniorum libro sacro qui Avesta inscribitur nihil de iis legimus, quod tamen non probat, Iranios priscos saxa non adorasse; Zoroastri enim discipuli iam satis priscis temporibus altam rationem ethicam attigerunt.

§ 38. Apud Germanos lapidum venerationis multa exempla afferri possunt. Non solum per lapides iurabant[2], sed eos lavabant, unguento oblinebant, colebant[3]. Liberi aegroti per cavos lapides serpebant, ut sanitatem reciperent[4]; sacra quoque lapidibus talibus faciebant[5]. Iudicia semper apud saxum aliquod sacrum exercebant[6]; victimae in saxo sacro immolabantur[7]. Flumina profanata lapidibus sacris in ea submissis expiabant[8]. Nonnulli lapides tonitrum atque pluviam attrahere posse credebantur[9] (cf. Romanorum lapidem manalem). Marbodus[10] ceraunias homines et domus a fulmine tueri dicit.

Saxo Grammaticus de »malleis Iovialibus inusitati ponderis" loquitur, »quibus coeli fragores cieri credebant."[11] Innumerae in Germania fabulae de saxis a gigantibus manu emissis adhuc in populi ore sunt; dactulorum vestigia in iis impressa videri putant[12]. Gigantes et homines in saxa

---

[1]) Macdonell pp. 154 sq.
[2]) Grimm. D. M. III 185.
[3]) Grimm. l. l.
[4]) Grimm. II 975.
[5]) Grimm. III 185.
[6]) Grimm. I 537.
[7]) Grimm. l.l.
[8]) Grimm. l.l.
[9]) Grimm. III 185.
[10]) Marb. c. 28, Grimm. II 1021; vide supra Lib. I § 33.
[11]) Saxo Gramm. XIII 236 (p. 421 Holder), Grimm. II 1021, I 150.
[12]) Grimm. I 452.

commutati esse et sensus humanos retinuisse existimabantur.[1] Quibus omnibus perpensis nemo, opinor, negaverit, lapidum cultum apud Germanos quam maxime viguisse.

§ 39. Restat ut de Romanorum litholatria loquamur, quae saepius a scriptoribus significatur, et quidem hisce locis:

Lucret. V 1198:

Nec pietas ulla est velatum saepe videri
Vortier ad lapidem.

Prop. I 4, 23:

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer qualis ubique lapis.

Prud. contra Symm. II 1005:

Lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueverat error
Fasciolis.

Ibidem I 206:

Sacratum domi lapidem consistere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem,
Mox humeris positus nutricis trivit et ipse
Impressis silicem labiis, puerilia vota
Fudit, opesque sibi caeca de rupe poposcit.
Persuasumque habuit, quod quis velit, inde petendum.

Apul. Apol. p. 504: Negant vidisse se, qui ibi fuerunt, unum saltem in finibus eius aut lapidem, aut ramum coronatum. (Vide Apul. Florid. 1, supra § 34).

Arnob. adv. nat. I 39: Si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum tamquam inesset vis praesens adulabar, affabar et beneficia poscebam. (Cf. Minuc. Fel. Octav. cap. 3 init.).

Lucian. Alex. 30 (de Rutiliano quodam loquens) καὶ εἰ

---

[1]) Grimm. I 457.

μόνον ἀληλιμμένον λίθον ἢ ἐστεφανωμένον θεάσαιτο, προσπίπτων εὐθὺς καὶ προσκυνῶν καὶ ἐπὶ πολὺ παρεστὼς καὶ εὐχόμενος καὶ τἀγαθὰ παρ' αὐτοῦ αἰτῶν.

Pro Termino [1]) deo a Romanis lapis colebatur; neque solum saxum illud, quod in Capitolio iacebat [2]), sacrum erat, sed omnes lapides, qui in agris collocati erant, ut fines designarent [3]); fuit lex vetustissima, ut si quis terminum sustulisset, sacrilegus esset atque impune interficeretur [4]). Caerimonias in terminis collocandis celebratas Siculus Flaccus descripsit [5]). Stipites quoque pro terminis in agris defodiebantur, Ovidio et Tibullo testibus:

Ov. Fast. II 641:

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes.

Tib. I 1, 11:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis. [6])

Iupiter Lapis sive Feretrius quoque hoc loco commemorandus est, per quem Fetiales iurabant [7]), nec non lapis Manalis, »quem cum propter nimiam siccitatem in urbem pertraherent (Pontifices), insequebatur pluvia statim" [8]).

---

[1]) Vide Preller, Röm. Myth. I³ 254 sq.

[2]) Serv. Aen. IX 448.

[3]) Vide Lib. III § 5.

[4]) Dion. Halic. II 74.

[5]) Sic. Flacc., De condit. agr., Rei agr. auctores (ed. Goesius 1674) p. 5, vide supra Lib. III § 5. De Terminalibus cf. Ovid. Fast. II 641 sqq.; Preller-Jordan, R. M. 257 sq.

[6]) Cf. Lactant. I 20, 37.

[7]) Cic. ad Fam. VII 12, Polyb. Hist. III 25, Gell. I 21, Serv. Aen. VIII 64, IX 448, Paul. Diac. p. 115, Liv. I 24, 8, IX 5, 3, XXX 43, 9. Cf. Roscher M. L. II 674 sqq., Preller-Jordan R. M. I. 247 sqq., Marquardt, Röm. Staatsverwaltung III 426.

[8]) Paul. Diac. p. 128, 4; Varr. de Vita pop. Rom. I p. 44 = Non. p. 547; Serv. Aen. III 175. Cf. Roscher M. L. II 2308; E. Hoffmann, Das

Romani igitur non minus quam Indi, Graeci, Germani lapides coluerunt, quod indicare mihi videtur, hunc quoque cultum iam antequam e patria communi discederent, apud Indo-Germanos viguisse.

CAPUT VI.

Qua via ac ratione apud Graecos priscae hae superstitiones paulatim obliteratae sint atque anthropomorphismo cesserint, in quinque quibusdam rerum sacrarum generibus conspicua, exponitur.

§ 40. Graecorum igitur proavos aliquando sane animalia plantas saxa coluisse plane constat. Iam cum aeque constet posterioribus temporibus Graecos sibi deos forma humana effinxisse, haud abs re erit investigare, qui fieri potuerit ut priscae hae superstitiones anthropomorphismo cesserint, quo modo hic sensim paulatim, tamquam per gradus, dominationem acceperit.

§ 41. Et primum quidem huc pertinet id, quod primo libro demonstrare conatus sum, deos excelsiores gradu quidem et ordine ab inferioribus differre, ratione tamen et natura non differre, quod imprimis probare superstitiones Aegyptiacas vidimus [1]; sed etiam Graeca religio

---

Aquilicium, Rhein. Mus. 1895, 484 sqq.; H. Usener, Rhein. Mus. 1895, 147. Populi nonnulli hodierni ceraunias quae dicuntur (vide Lib. I § 33) pluvias elicere posse existimant, teste Wilkenio (Animisme, Ind. Gids 1884 tom. 2 p. 76): „Wij vinden ook vermeld, dat zij wel eens aangewend worden, om bij groote droogte regen te verwekken. Daartoe omwikkelt men den steen met zekere bladeren en legt hem in een pot met water, dien men des nachts op het erf plaatst. Ook bij de Niasiers worden de dondersteenen gebruikt om de wolken te bezweren."

[1]) Vide Lib. I §§ 15—17.

multa huiusce rei exempla exhibet. *Ἀπόλλων*, luminis, aut, ut Tiele affirmat, venti deus, in obelisco habitare cognomine *ἀγυιεύς* putabatur. Lupus, delphinus, laurus ei sacra erant, magnasque in mythis de eo agentibus partes agebant. *Ζεύς*, quem coelum nitens esse mythologi comparativi ostenderunt, Dodonae in arbore, Gythii[1]) in saxo habitare credebatur; ita ceterorum quoque deorum cultus cum lapidum stipitum plantarum animalium veneratione coniungebantur. Quod, ut supra dixi[2]), ita explicandum mihi videtur, ut dii supremi cum daemonibus anonymis temporibus priscis adoratis confusi sint, quae confusio, singulis in regionibus, quo primum deorum illorum cultus invaserint, orta, postea, partim quidem, toti Graeciae communis facta sit. Sic fortasse laurus ideo Apollini sacra erat, quia Deli, ubi primum Graeci Apollinem venerati esse videntur, laurus colebantur.

§ 42. Eiusmodi autem daemonum diis assimilandorum ratio explicat, cur superstitiones priscae tam diu in Graecia remanere potuerint. Quis, qui deorum simulacra pulcherrima, a Phidia, Praxitele, aliis artificibus sculpta, viderit, quis, quaeso, ipsis illorum aetatibus multoque post eundem populum saxa rudia, conos, obeliscos, stipites, arbores, animalia divino honore dignasse crediderit? Nemo, opinor; at tamen scriptores et monumenta nos docent, re vera in Graecia iuxta anthropomorphismum quam latissime patentem priscas quoque superstitiones illas viguisse, neque umquam plane exstinctas esse.

§ 43. Sed aliud est ab adversario numquam prorsus

---

1) Paus. III 22, 1; vide Lib. II § 47.
2) Lib. I § 16.

vinci, aliud nihil omnino ei cedere; e quibus illud de iis superstitionibus optimo iure affirmari potest, hoc contra minime in eas quadrare constat. Pedetemptim enim recedebant atque deficiebant, nec nisi adversario ipso ad statum humiliorem delapso quodammodo reviruisse videntur[1]). Quomodo autem longa contentione anthropomorphismo suppressi, sive potius paulatim cum eo conflati sint, id ex ipsis reliquiis effici posse confido. Certos enim quosdam gradus mihi distinxisse videor, quibus anthropomorphismus ad dominationem perveniret, ita quidem, ut temporibus posterioribus cuiusque gradus vestigia remanserint. In capite superiore materiam ea ratione disposui, ut ipsa dispositione singulos gradus indicarem, et quidem hosce:

§ 44. 1). Commemorantur a scriptoribus aut conspiciuntur in monumentis saxa, stipites, arbores, animalia, quae ipsa adhuc scriptorum aut monumentorum aetate tamquam dei sive deorum sedes colebantur.

2) Alia saxa, stipites, arbores, animalia veneratione quidem dignabantur, non tamen amplius dei sive deorum sedes esse, sed tantum ad deos sive heroes quodammodo pertinere credebantur.

3) Sunt quoque simulacra partim specie humana, partim lapidis, stipitis, animalis figura.

4) Multa saxa et arbores a scriptoribus, praesertim a Pausania, commemorantur, quae non amplius adorata esse videntur, sed tamen adhuc ad deos sive heroes pertinere credebantur.

5) Saxorum nonnullorum sanctitas alio modo apparebat, multaeque res arborum et animalium cultus oblivione oppressos redolebant.

---

1) Vide infra § 85.

A. De primo genere in § 44 indicato.

§ 45. In primo horum quinque graduum antiquam illam superstitionem, quae animalia arbores stipites saxa venerabatur, plane adhuc vigere videmus, in ceteris vix dubium esse potest quin aliquando viguerit, quamquam in iis gradatim eam videmus evanescentem. Haec igitur quatuor genera pro testimonio stant, quomodo anthropomorphismi potestate magis magisque accrescente superstitio illa pedetemptim recesserit, ut novo sub imperio arborum saxorum stipitum sacrorum, quae ex antiquioribus temporibus superessent, vera ratio non amplius perspiceretur.

B. De secundo genere in § 44 indicato.

§ 46. Luculentissimum exemplum est illud saxum ad secundum quod proposuimus genus pertinens, quod *Ζεὺς Καππώτας* vocabatur, igiturque certo certius pro *Διὸς* sede venerationem habuerat, sed postea, licet nomen illud retinuisset, nullam aliam ob causam sancti quid habere putabatur, quam quod Orestes in eo sedens resipuisset; nec non grammaticorum doctrina fabulae illi favebat, saxi nomen a *καταπαύω* derivandum censens [1]). Non aliter umbilicus Delphicus, saxum, quod Graeci prisci pro dei sive genii cuiusdam sede venerati erant, postea a *Διὶ* tamquam orbis terrarum umbilicus Delphis depositus esse existimabatur; sanctitatem quidem retinuerat, sed aliam ob causam, quae magis anthropomorphismo conveniebat, adorabatur [2]). Aliud saxum a Krono pro *Διὶ* infante devoratum esse,

---

[1]) Paus III 22, 1, vide Lib. II § 47.
[2]) Vide Lib. II § 43.

ideoque certam quandam caerimoniam diebus sollemnibus in eius honorem celebrandam putabant [1].

Ita aliud saxum aliam ob causam venerationi esse credebatur, sed omnes fabulae illae id spectabant, ut ad deos sive heroes prorsus humanos quodammodo pertinuisse viderentur; tantopere enim religionis priscae vigor decreverat, ut animorum sedes partes tantum secundas agerent sub anthropomorphismi imperio.

§ 47. Quod non solum in saxa, sed etiam in stipites cadit; nam iuxta ligna indolata deos repraesentantia alia reperiuntur, quae hastae tantum deorum sive heroum habebantur, sive ideo in templis conservari putabantur, quia dii quodam modo iis usi essent, ut homines adiuvarent; velut Chaeroneae *Διὸς* sceptrum, quod postea Agamemnonem pro sceptro habuisse narrabant, religiose colebatur [2]) et Sicyone lignum in *'Απόλλωνος Λυκίου* templo iacebat, cuius cortice deus lupos, greges trucidantes, necaverat [3].

§ 48. Arborum quoque permultarum veneratio, tali ratione interpretata, verum sensum amiserat. Deli laurus et palma et olea colebantur, quod *Λητὼ* sub iis peperisse narrabatur [4]. Laurum sacram, Delphis adoratam, hominum fabulositas olim nympham fuisse excogitaverat, cui nomen *Δάφνη*, quam, ut *'Απόλλωνα* effugeret, Terra in laurum mutavisset [5], aliaque laurus in Tempibus Thessalicis venerationem habebat, quia *'Απόλλων* Pythone interempto de ea arbore frondes decerpsisset, quibus sese coronaret [6].

---

1) Paus. X 24, 6, vide Lib. II § 40.
2) Paus. IX 40, 11, vide Lib. II § 94.
3) Paus II 9, 7, vide Lib. II § 97.
4) Vide Lib. II §§ 105—107.
5) Vide Lib. II § 108.
6) Ael. Var. Hist. III 1, vide Lib. II § 109.

Athenis olea sanctissima et sempiterna in Ἀϑηνᾶς et Ποσειδῶνος certamine ad nutum divinum e solo exsurrexisse putabatur. Ita multae arbores sive ad deos sive ad heroes pertinere existimabantur, olim tamquam deorum sive animorum ignotorum sedes divino honore dignatae.

§ 49. Non aliter animalium cultus saepius variis modis ita explicabatur, ut animalia illa ideo tantum adorari viderentur, quod de deo sive heroe quodam bene merita essent. Sic Thebis mustelarum cultus vigebat, posterorum opinione nullam aliam ob causam, quam quod mustela Ἡρακλέους nutrix fuisset, aut Alcmenen parturientem adiuvisset [1]. Delphis lupi sacri erant, quia lupus indicasset ubi res aureae, ex Ἀπόλλωνος templo surreptae, in monte Parnasso defossae essent [2]. Cretenses, morem sibi a maioribus traditum servantes, sues quidem venerabantur, sed ideo tantum id fieri putabant, quod sus Διὶ infanti ubera praebuisset, et grunniendo prohibuisset, quominus eius vagitus audirentur [3].

§ 50. Haec exempla ex secundo illo genere desumpta sufficiant. Quam evanuerint priscae illae superstitiones haud minus luculenter e tertio genere apparet; alia enim quoque via antropomorphismus ad dominationem tendebat.

C. De tertio genere in § 44 indicato.

§ 51. Mirum est viros doctos nonnullos hermas et truncos persona atque vestibus ornatos vinculum inter lapides stipitesque et simulacra prorsus humana formasse pertinaciter negare.

---

[1]) Ael. Nat. Anim. XII 5, vide Lib. II § 216.

[2]) Ael. Nat. Anim. XII 40, vide Lib. II § 256.

[3]) Athen. IX 18, vide Lib. II § 223.

Sic Overbeck, qui, ut supra [1]) vidimus, Boettichero ex animo assentitur, omnium palorum et *ξοάνων* sanctitatem ex arborum cultu effluxisse, neque igitur a talibus, ut ita dicam, evolvendi doctrinis abhorrere videtur, aliam eiusdem opinionem multo probabiliorem — stipites vestitos atque capitatos *ξόανα* praecessisse Bötticher putat [2]) — disertis verbis reiicit, nec nisi simulacris prorsus humanis iam inventis stipites tali modo ornatos esse perhibet [3]); neque aliter de hermis sese iudicare saepius affirmat.

Overbeckio enim persuasum est, homines, simulatque deorum imaginem humanam exprimere coeperint, totum eorum corpus neque partes tantum corporis ligno vel marmore effinxisse, quia eius quidem sententia tale quid a quoquo artifice prorsus alienum sit, neque usquam apud scriptores eiusmodi progressus gradatim facti vestigia inveniantur [4]). Thiersch [5]) quoque, Gerhard [6]),

---

[1]) Vide supra Lib. III § 8.

[2]) Bötticher (p. 105) quidem de arboribus ita ornatis loquitur, sed picturae vasculares ab eo allatae palos, Dionysum repraesentantes, persona vestibus ramis instructos, exhibent.

[3]) Cultusobject p. 137: Während nämlich Bötticher S. 105 die Ausstattung der Bäume als Götterbilder in menschlichem Habitus in die Zeit vor der Stiftung von Tempelbildern versetzt, bin ich fest überzeugt, dass sie durchaus nur der Zeit der anthropomorphischen Götterbildnerei zuzusprechen ist. An und für sich wird man dies Letztere als natürlich anerkennen, da ja nothwendigerweise die Idee von der Menschengestalt der Götter in menschengestaltigen Bildern begonnen haben musste, ehe man auf den Gedanken kommen konnte, den heiligen Baum durch Bekleidung und Maske menschenartig zu gestalten und somit den ganz durch die Kunst geschaffenen Götterbildern anzunähern."

[4]) Ibidem pp. 166—171: „Niemals aber hätte hier eine theilweise Umgestaltung des alten anikonischen Zeichens im Sinne des neuen Anthropomorphismus genügen können, denn theilweise menschlich, etwa nur mit einem menschlichen Kopfe versehen, hat keine Stufe der religiösen Entwickelung die Gottheit je aufgefasst." Cf. Overb. Plastik I 35 sqq.

[5]) Thiersch, Epochen pp. 19 sqq.

[6]) Gerhard, Hyperbor. Stud. II 206.

Feuerbach[1]), inter recentiores Kékulé[2]) et Reichel[3]) Winckelmannii doctrinam easdem ob causas reiecerunt. Winckelmann[4]) enim primus hermas saxis nulla omnino arte dolatis successisse et transitum ad simulacra prorsus humana formasse perhibuit; cui sententiae Zoëga[5]), O. Müller[6]), alii[7]) faverunt. Brunn[8]) quoque clare ostendit, artem Graecam re vera non nisi gradatim deos humana figura instruxisse, caputque ei multo maioris momenti ceteris corporis partibus visum esse[9]).

§ 52. Quod nusquam clarius apparet quam in Dionysi simulacris agrestibus, quae in vasculorum Atticorum picturis nonnullis depicta conspicimus[10]). Dicat quispiam vascula illa, pulchris rubris figuris ornata, minimeque igitur in perantiquorum vasculorum numero habenda,

---

[1]) Feuerbach, Vatican. Apollon p. 18.

[2]) Kékulé, Ueber die Entstehung der Götterideale der Griech. Kunst p. 12: „Nicht so sind die Götterbilder entstanden, dass man an den Stein, der den Gott bedeutet, einen Kopf und dann Arme ansetzte. Es liegt im Wesen des künstlerischen Schaffen, dass es nach dem Höchsten und Edelsten strebt. Wer sich nicht das letzte Ziel steckt, sondern ein näheres, bequemeres, wird auch dies nähere nicht erreichen."

[3]) W. Reichel, Ueber Vorhellenische GöttercuIte p. 75 n. 35: „Die veraltete Hypothese, dass durch „Ausgestaltung" solcher Naturmale zu menschenähnlichen Gebilden „die Cultbilder entstanden" seien, braucht nicht weiter berührt werden".

[4]) Winckelmann, Gesch. d. Kunst I 1, 9.

[5]) Zoëga, De usu et origine obeliscorum p. 217.

[6]) O. Müller, Handb. § 67.

[7]) Schreiber, Parthenosstudien, Arch. Zeit. 1883 pp. 288 sq.: „Der Uebergang von dem anikonischen Idol zu dem eigentlichen Cultbild kann sich nur ganz allmählig vollzogen haben, seine einzelne Phasen sind noch wohl erkennbar."

[8]) Sitz. ber. d. Münch. Acad. Philos. philol. Klasse 1884 III 507 sqq.

[9]) Cf. A. Salzmann, Nécropole de Camiros tab. 14: simulacrum parvum antiquissimum, terra cocta confectum, duobus capitibus et duobus bracchiis instructum, sed cruribus prorsus carens.

[10]) Bötticher Baumkultus fig. 42—44, Benndorf, Vorlegeblätter A 4 etc.

non pro argumentis adduci posse ab eo, qui palos capitatos simulacra prorsus humana praecessisse perhibeat. Sed ruricolae semper et ubique pervetusta a maioribus tradita tantopere foverunt, ut simulacra rudia, posterioribus temporibus adhuc culta, eorum proavis quoque venerationi fuisse pro certo statuendum sit. Aliam quidem regionem alia maiorem erga vetera pietatem habuisse per se intelligitur; sic in Boeotia adhuc Maximi Tyrii[1]) aetate ruricolis trunci pro Dionysi signis erant, in Attica contra iam diu antea palos vestitos atque capitatos Dionysi simulacrorum vice functos esse picturae vasculares Atticae supra allatae testantur; neque quisquam dubitaverit, quin tunc quoque temporis iamdudum in Dionysi templis simulacra prorsus humana adorata sint; sed in agris vetus, licet non vetustissima, religionis forma remanserat.

Nolimus igitur credere simulacra humana palos capitatos praecessisse, nam multo probabilius est, ubique in Graecia olim truncos rudes venerationi fuisse, deinde, anthropomorphismo pedetemptim progrediente, palos illos vestibus et capite instructos esse, simulacra denique prorsus humana deum repraesentasse. Alia autem in regione ruricolae, velut in Boeotia, usque ad religionis Christianae victoriam absolutam fetissismum sincerum retinuerunt, in alia non nisi tarde de eo ad idololatriam [2]) transierunt; urbani contra mox superstitionem veterem abiecerunt et simulacra humana adorare coeperunt, primo rudia, deinde pulchriora, denique subtilissima arte confecta.

---

[1]) Max. Tyr. VIII 1: *καὶ γεωργοὶ Διόνυσον τιμῶσι πήξαντες ἐν ὀρχάτῳ αὐτοφυὲς πρέμνον, ἀγροικικὸν ἄγαλμα.*

[2]) Quotiens vocibus idolo et idololatria utor, semper simulacra deorum — plerumque humana, interdum animalis figura — significo, quibus deos ipsos quodammodo effingere conati sunt homines.

Dignum est quod observetur, picturas vasculares rusticorum in hac re progressus nobis indicare: nunc enim truncum rudem videmus, bulla (Knauf) insuper ornatum, vestique partim contectum; capitis loco nihil nisi persona barbata ei affixa est, et ramos nonnullos cultores simulacri lateribus infixerunt [1]; nunc palum basi impositum pictor nobis ostendit, vestibus usque ad pedem indutum, non amplius rudem sed quodammodo in formam quadratam circumrasum, ut trabs potius quam truncus sit; rami non lateribus, sed supra personam tantum palo infixi sunt [2]. In alia pictura caput iam trabi impositum est sive potius supreme ita axia dolatus est palus, ut bullae loco caput humanum conspiciamus, et persona ideo integro capiti cesserit; rami tamen adhuc humeris simulacri infixi sunt. [3]) Alio denique in vasculo eiusmodi simulacrum depictum videmus, basi quadrato impositum, capite tamquam serto ingenti ramis redimito. [4]).

§ 54. Quibus exemplis accurate perpensis quis, quaeso, dubitaverit quin re vera truncus rudis in simulacrum integrum transformatus sit? Quis, si stipitem, capite tantum et phallo instructum [5]), videat, Graecos priscos non nisi

---

[1]) Bötticher fig. 43 a. Cf. E. Thraemer, Roscher M. L. I 1090 s. v. Dionysos; Annali 1862 tab. C.

[2]) Bötticher fig. 43 b; cf. Mon. d. I. VI et VII tab. 65 A; Panofka, Dionysos und die Thyaden tab. II 1. In fig. 43 (Bött.) trabs basi caret, ramique adhuc lateribus infixi sunt. Mus. Borb. XII tab. 21 sqq.; Pitt. di Vasi fittili IV tab. 317.

[3]) Bötticher fig. 42; Gerhard, Trinksch. u. Gef. I 4, 5; Benndorf, Vorlegeblätter A 4.

[4]) Bötticher fig. 44; Panofka l.l. Quod Bötticher de hoc simulacro dicit: „Stamm eines grünen Fruchtbaumes als Dionysosbild ausgerüstet" minime rectum est; trabs enim est basi imposita, ramique vittis in capite illigati sunt.

[5]) Mon. X tab. XLV.

gradatim a fetissismo ad idololatriam transiisse neget? Overbeck c. s. ideo tantum hoc concedere nolunt, quia praeposterae illi opinioni favent, artifices, quamvis rudes essent, statim tamen simulacra integra facere voluisse, neque umquam capite tantum exprimendo contentos fuisse. Hocce enim errore ad sententiam perducti sunt, lapidum et stipitum cultum nihil ad idololatriam pertinuisse, ut nullus ab altero ad alteram transitus esse posset. Attamen oblivisci aut nescire videntur, per totum orbem terrarum eiusmodi transitus exempla reperiri, populosque incultos huic quoque quaestioni splendidam lucem afferre.

§ 55. Neque mirum est, saepius parvam tantum discrepantiam esse inter fetissum et idolum, nam ut illud animi domus habetur, ita hoc quoque plerumque non solum dei alicuius imago, sed etiam eius sedes esse putatur. Quamquam enim nonnumquam simulacra nihil sunt nisi imagines, undecumque tamen exempla afferri possunt, ea animata divinaeque potestatis plena haberi. Homini inculto inter similacrum et eum, cuius imago simulacro exprimitur, ut inter nomen et eum, cui id nomen datum est, certum quoddam atque firmum vinculum esse videtur; qua re essentiam et potentiam dei, cuius imago idolo exprimitur, in idolo ipso adesse putat. Ita idem idolum, quod minus rudes homines symbolum dei habent, incultae menti ipsum illud divinum continere videtur [1]).

---

[1]) Chantepie de la Saussaye, Relig. gesch. I[1] 54; Tylor, Early history of mankind p. 119: „Man in a low stage of culture, very commonly believes that between the object and the image there is a real connection, which does not arise from a mere subjective progress in the mind of the observer, and that it is accordingly possible to communicate an impression to the original through the copy. We may follow this erroneous belief up into the periods of high civilization, its traces becoming fainter as education advances." Cf. Tylor, Prim. Cult. II 169 sqq.

§ 56. Quod apud veteres non minus quam apud populos incultos hodiernos observari potest: simulacra enim vestiri, ungui, immo ali et spectaculis delectari solebant; catenis vinciebantur, ne effugerent [1]; nonnumquam flagris caedebantur, quia officio defuisse existimabantur, velut Panis signum quod adolescentibus Arcadicis sine praeda e venatu redeuntibus poenam dedit [2]), aliudque illud simulacrum, quod in hominem id verberantem cecidisse narratur; innumerae sunt fabulae, quae simulacra flevisse aut sudorem emisisse aut arma vibrasse aut sua sponte loco cessisse tradiderunt. Apud Arnobium [3]) paganus introducitur dicens, se non aes sive aurum sive argentum, e quibus imagines confectae sint, divinum habere, sed animos sollemni consecratione in eas introductos atque in iis habitantes sese colere. Augustinus [4]), de Trismegisto loquens: »At ille", inquit, »visibilia et contrectabilia simulacra velut corpora deorum esse asserit; inesse autem his quosdam spiritus invitatos." Quod Christianos ipsos credidisse, animos quidem illos daemones perniciosos habentes, ex hoc Minucii Felicis [5]) loco apparet: »Isti igitur impuri spiriti, daemones, ut ostensum a magis, a philosophis, et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt."

§ 57. Haec omnia clare ostendunt, idola apud antiquos animata habita esse; neque aliter rem se habere per totum fere orbem terrarum, apud populos diversissimos, exemplis a Tylorio [6]) allatis accurate perpensis nemo, opinor, nega-

---

[1]) Cf. Lobeck, Aglaophamus p. 275; Creuzer, Symbolik II p. 615.
[2]) Schol. Theocr. VII 106.
[3]) Arnob. Adv. Gent. VI 17—19.
[4]) Augustin. De Civit. Dei VIII 23; cf. Tertull. De Spectaculis XII.
[5]) Min. Felic. Octavius XXVII.
[6]) Prim. Cult. II 168—183.

verit. Itaque, si fetissismus et idololatria tam arte inter se cohaerere constat, quid, quaeso, est cur cum Overbeckio Reichelio aliis pertinaciter negemus, Graecos gradatim ab altero ad alteram transiisse? Immo nihil certius esse persuasum habemus. At tamen, ut hancce opinionem nostram etiam magis confirmemus, exempla eiusmodi transitus nonnulla apud populos incultos reperta afferre nobis propositum est.

§ 58. Tylor [1]) optime animadvertit, saepius discrepantiam inter fetissum et idolum vix percipi posse, paucasque incisuras aut pigmenti lineamenta sufficere, ut illud in hoc transformetur. Quod nusquam clarius apparet quam apud nigros homines, qui in Africa habitant. [2]) Stipes enim, cuius inferior pars latior est quam superior, in basi sua positus et superne axia dolatus, ut quodammodo effigiei humanae similis sit, pie ab iis colitur. [3]) Fustes rudi capite tamquam bulla instructi iuxta conos et cylindros, quibus caput impositum est, inveniuntur. [4]) Interdum artifex sibi paulo maiorem laborem imposuit, bacchiisque et cruribus corpori coniunctis, magno ore hiante, phallo

---

[1]) Prim. Cult. II 168: „By a scarcely perceptible transition, we pass (from fetichism) to Idolatry. A few chips or scratches or daubs of paint suffice to convert the rude post or stone into an idol.” Eidem sententiae favet Chantepie de la Saussaye, Rel. gesch. I 55: „Als Merkmal liesse sich am besten bezeichnen, dass das Idol sich vom Fetisch unterscheidet durch die, sei es auch noch so geringe, Bearbeitung von Menschenhand, uud durch die nähere mehr individuelle Bezeichnung des Gottes oder Geistes, der dem Bilde eingekörpert ist.” Cf. Goblet d'Alviella, Des origines de l'Idolâtrie, Revue de l'hist. des rel. 1885, tom. XII pp. 1—25.

[2]) A. Réville, Les religions des peuples non-civilisés I 85: „Ce qui est fort intéressant, c'est que l'on peut suivre à la trace en Afrique la transition du fétichisme à l'idolâtrie..... Sur le continent africain l'idole commence seulement à sortir du fétiche.”

[3]) Ibidem I 86.

[4]) Ibidem I 86. Vide Ratsel, Völkerkunde p. 44 fig. 2.

lignum ornavit. [1]) In Museo Ethnographico Leidensi permulta simulacra lignea, a nigris hominibus adorata, conspiciuntur, quorum alia capite tantum sunt instructa, [2]) in aliis phallus quoque exsculptus est, [3]) alia crura habent sed bracchiis carent [4]), aut bracchia non nisi lineamentis in corpore sunt adumbrata, [5]) alia capite tantum et bracchiis praedita sunt. [6]) Quae idola omnia hominibus nigris pro fetissis esse testatur Paul Barret, in libro qui inscribitur »L' Afrique occidentale (la Nature et l' homme noir)". [7])

§ 59. In India quoque permulta eiusmodi idola lignea reperiuntur; e quibus compluria quidem defunctorum animorum sedes habentur, sed aeque ac dei coluntur, ut saepius incertum sit, utrum animus quidam ignotus an proavi cuiusdam animus in iis habitare existimetur. Sic in insula Kissar ligna, infra latiora quam supra, quibus effigies leviter insculpta est, capillisque ornata, deos aut proavos repraesentant [8]); pali quoque capite tantum ornati, qui Matakau

---

[1]) De miro quodam idolo loquitur Sanderval, in libro qui inscribitur: „De l'Atlantique au Niger", p. 20: „Drôle de divinité que le fétiche du roi de Boubah; une espèce de petit tabouret rond, avec dossier d'une seule pièce, surmonté d'une tête grimaçante, aux yeux faits de clous dorés; le tout maculé du sang des victimes, poulets, boeufs et autres animaux." Cf. Abel Hovelacque, Les Nègres de l'Afrique Sus-Equatoriale p. 399.

[2]) Idola e regione, quae Congo vocatur, allata: Mus. Ethnogr. Leid. 497, 84 et 85; 415, 13; 510, 9.

[3]) Mus. Ethnogr. Leid. 299, 3, simulacrum ligneum e Liberia advectum.

[4]) Ibidem 497, 83 (Congo). Cf. E. J. Grave, Six years of adventure in Congoland p. 85.

[5]) Ibidem 685, 1 (Congo); 879, 3 (a populo cui nomen Zoeloe adoratum).

[6]) Ibidem 879, 4 (Zoeloe) (virgula divina esse videtur).

[7]) II 177: Pour cet idolâtre négatif, l'image n'est pas seulement la figure de l'idée, elle est l'idée elle-même, elle est „fétiche", c'est à dire „génie"; elle en possède les moyens et en distribue les bénéfices."

[8]) Zeitschr. f. Ethnologie XXIV (1892) p. (235), Indonesische Cultusgegenstände fig. 3.

vocantur, in Indonesia incolarum bona tueri putantur, animo magica arte in eos introducto [1]; qualia simulacra, minora quidem, in insula Celebi tamquam mortuorum sedes venerationi esse videntur [2]. In Museo Ethnogr. Leidensi virgulae parvulae permultae conspiciuntur, ex insula Borneone allatae, in quibus effigies humana non nisi paucis incisionibus adumbrata est, quaeque supra domuum ianuas pendentes mala ab hominibus in iis habitantibus arcere putantur [3], aut in frugibus recenter demessis collocantur, ut proximo anno messis agricolas voti omnino compotes faciat [4], aut pro amuletis sunt [5]; Niasii [6] quoque et insulae Ceram [7] incolae parva idola, amuleta, maiorum simulacra lignea, capite tantum praedita, venerantur; neque aliam formam habent simulacra lapidea nonnulla apud Battarum gentes [8], quae homines a malis et periculis defendere existimantur.

§ 60. Nec non in Australia eiusmodi idola lignea rudi

---

[1]) Ibidem p. 236 fig. 4 et 6: „Die Figuren sind zum Theil nur rohe Holzpfähle, deren oberes Ende die grobgeschnitzte Nachahmung eines menschlichen Kopfes trägt."

[2]) Internationales Archiv für Ethnographie III tab. XVI fig. 8: „Op een masker gelijkende nabootsing van een menschelijk gelaat... op een plat vierkante, naar onder dunner wordende steel, alles uit één stuk gewerkt."

[3]) Mus. Ethnogr. Leid. 781, 256 J 63 (Penawat hapoentat).

[4]) Ibidem 781, 242 J 51 (Sampoean parei).

[5]) Ibidem 769, 37; 461, 27; cf. P. J. Veth, Borneo's Westerafdeeling II 308.

[6]) Mus. Ethnogr. Leid. 460, 13; 1002, 182 sq.

[7]) Riedel, De Sluik- en Kroesharige Rassen tusschen Selebes en Papua, tab. XIII; cf. Riedel l.l. tab. XXXIV 5 (ex insula Babar); Mus. Ethnogr. Leid. 842, 201; 842, 102 (Flores).

[8]) Cf. B. Hagen, Beiträge zur Kenntniss der Battareligion, Tijdschrift voor Indische Taal-, Land- en Volkenkunde XXVIII (1883) tab. III 1—12 (pangulu balang), p. 509; p. 511: „Gewöhnlich ist nur ein Kopf gearbeitet mit einem achtkantig zugespitzten Sockel."

arte insculpta iuxta aliquanto perfectiora reperiuntur [1]); ubique denique stipites et lapides partim humanis formis ornatos homines inculti venerantur, velut in America quoque meridionali [2]), in Hermitis insulis [3]), in Siberia [4]), aliis in regionibus [5]). Saepius etiam lapides erecti et ligna vestiuntur [6]) aut cingulis ornantur [7]). Apud Samojedos simulacrum integrum, lapis capitatus, lapis rudis vestibus coloratis involutus alius iuxta alium reperiuntur [8]).

§ 61. Sed iam satis; ex exemplis allatis clare apparet, opinor, fetissismum cum idololatria quam artissime cohaerere, atque Winckelmannii opinionem, quam Reichel coniecturam obsoletam vocat, certo certius rectissimam esse ultraque omnem dubitationem elatam. Hocce proinde pro certo statui potest, caput semper et ubique ab artificibus primum expressum esse, ceteraque corporis humani membra

---

[1]) Cf. J. W. Powell, Annual report of the Bureau of Ethnology X (1888—89) p. 526 fig. 735 (New-Zealand); Ethnogr. Beschrijving van de West- en Noordkust van Ned. Nieuw-Guinea, door F. S. A. de Clercq, met medewerking van Dr. J. D. E. Schmeltz, tab. XXXIV fig. 3, 5 (Karwan, p. 168), fig. 4 (Matoetoeo, mortuorum sedes, p. 160); tab. XXXVII fig. 9, 10, 20, 18 (amuleta). Mus. Ethnogr. Leid. 602, 47; 1052, 12; 929, 783; 929, 725.

[2]) Cf. Guido Boggiani, Viaggi d'un artista nell' America Meridionale, I Caduvei, p. 188, fig. 89, idola lapidea cruribus et bracchiis carentia; Archivos do Museu Nacional Do Rio de Janeiro VI tab. IV fig. 26.

[3]) Ratsel l. l. p. 44 fig. 1.

[4]) Internat. Archiv. f. Ethnogr. I (1888) p. 92, Die Kultusgegenstände der Golden und Giljaken, von A. Woldt tab. VI a.

[5]) Cf. Lubbock, Orig. of Civil. p. 249 fig. 18 (Virginia).

[6]) Goblet d'Alviella l. l. pp. 5 sq.

[7]) Lubbock l. l. p. 302 fig. 20 (in insulis Fidji).

[8]) Goblet d'Alviella l. l. p. 7; cf. Tylor, Prim. Cult. II 163: „The Samoyed travelling ark-sledge, with its two divinities, one with a stone head, the other a mere black stone, both dressed in green robes with red lappets, and both smeared wieh sacrificial blood, may serve as a type of stone-worship."

eorum sententia minoris momenti fuisse; quod apud Graecos praeter hermas et palos capitatos idola illa antiquissima, quae *παππάδες* vocari solent, cruribus prorsus carentia bracchiisque non nisi levissime adumbratis, clare testantur [1]).

§ 62. Praeter lapides et stipites capitatos alia quoque simulacra partim ad superstitiones priscas pertinebant, partim iam formis humanis ornata erant. Dii enim nonnulli, quos Graeci prisci animalis figura esse putabant, eamque in speciem ligno sive aliis materiis effingere solebant, postea simulacris partim humanis, partim animalia referentibus repraesentabantur [2]). *Δημήτηρ* Phigalensis,

---

[1]) Vide Kékulé, Griech. Thonfig. aus Tanagra; Heuzer, Fig. antiques de terre cuite tab. 17, 1—4; Boehlau, Böotische Vasen, Jahrbuch III (1888) pp. 342 sqq. De idolis Mycenaeis etc. vide Schliemann, Tiryns tab. 25 pp. 168—186, Mycenae tab. A c et d, B, XVI—XIX; Eph. Arch. 1887 tab. 13 fig. 23 sq., 1888 tab. 8 fig. 9; Collignon I p. 8 fig. 2; Athen. Mitth. XI (1886) pp. 15 sqq., F. Dümmler, Mitth. v. d. Griech. Inseln; Winter, Uebersicht über die auf der athenischen Akropolis gemachte Funde von Terrakotten, Jahrb. 1893, Anz. 140 sqq. Reichel, in libro qui inscribitur „Ueber Vorhellenische Göttercułte" sibi ostendere videtur, temporibus Mycenaeis deorum cultum idolis plane caruisse. Homines enim eius opinione solia venerabantur, in quibus deos sedere cogitabant; humana quidem figura praediti erant dii, sed hominum oculis perspici non poterant; solia scilicet ipsa non colebantur, sed dii, qui in iis sedere putabantur. Hoc negare nolim, vehementer tamen in eo errare Reichel mihi videtur, quod eiusmodi cultum anthropomorphismi plenum iuxta lapidum et stipitum venerationem — nam ea certo certius tunc temporis in Graecia vigebat, quod sane ipse Reichel concedit (p. 75 animadv. 35) — exstitisse opinatur, idololatriam tamen — quae semper et ubique e fetissismi et anthropomorphismi connubio nascitur — eodem tempore viguisse negat. Nolimus existimare Graecos illius aetatis, quos non tam incultos fuisse eorum ars nos docet, nondum ad idololatriam partim saltem progressos esse; cum enim apud Homerum anthropomorphismum iam plane excultum inveniamus atque satis constet, iam diu antea fetissismum floruisse, vix dubium esse potest, quin ex duobus his conflata idololatria iam ante Homerum exstiterit.

[2]) Haec simalacra quidem non formabant transitum a fetissismo ad idololatriam, sed ab idolis animalia referentibus ad idola humana. Attamen

quam equam fuisse fabulae Arcadicae de eius transformatione agentes nos docent[1]), equino capite, humano corpore in aede sua stabat[2]); *'Αρτέμιδος Εὐρυνόμης* inferior tantum pars piscem divinum hominibus in memoriam reducebat[3]); *Σελήνης* simulacrum, Elide adoratum, prorsus humanum erat, nec nisi cornibus ostendebat, Graecos priscos *Σελήνην* olim in tauri speciem effinxisse[4]).

D. De quarto genere in § 44 indicato.

§ 63. In reliquiis supra commemoratis superstitionis priscae vis iam valde quidem deminuta erat, sed tamen veneratio, quamvis commutata, remanserat. Iam pauca dicenda sunt de arboribus nonnullis et saxis, quae ad quartum illud genus retulimus; ea volo, quae veneratione plane amissa nihil sancti retinuissent, nisi fabulae ea ad deos sive heroes pertinuisse narrassent; scriptores saltem, qui de iis loquuntur, nihil de adoratione tradiderunt, sed solum fabulas de iis agentes memoria dignaverunt; velut saxum illud, in quo *'Απόλλων* lyram deposuisse putabatur[5]), et lapis, quem *'Αθηνᾶ* in *'Ηρακλέα* furentem emiserat[6]), aliudque saxum, in quo Manto sederat[7]), multaque alia, omnia supra[8]) enumerata, de quorum adoratione Pausanias tacet.

---

ideo hoc loco ea commemorata volui, quod sicut hermae palique capitati haec quoque simulacra forma sua semi-humana indicant, quo modo superstitiones priscae anthropomorphismo paulatim cesserint.

[1]) Vide Lib. II § 263.

[2]) Paus VIII 42, 3, vide Lib. II § 263.

[3]) Paus VIII 41, 6, vide Lib. II § 265.

[4]) Paus VI 24, 6, vide Lib. II § 266.

[5]) Paus. I 42, 2, vide Lib. II § 54.

[6]) Paus. IX 11, 2, vide Lib. § 55.

[7]) Paus. IX 10, 3, vide Lib. II § 56.

[8]) Lib. II §§ 54—69.

Quae omnia Graecis priscis venerationi fuisse puto, nam fabulae illae eorum sanctitatem indicant; quin etiam Pausaniae aetate homines superstitiosos, quos quemque stipitem et quemque lapidem unctum venerari solitos esse Clemens Alexandrinus nos docet [1], ea quoque saxa religiose coluisse coniicio. Sanctitatem enim adhuc redolebant, licet cultu publico non amplius fruita esse videantur.

§ 64. Nec non arbores tales afferri posse confido; non aliter enim iudicandum censeo de platanis illis, Delphis ab Agamemnone [2], Caphyis a Menelao satis [3], neque de lauro illa, quae Troezene ex Orestis piaculis exsurrexisse putabatur [4], neque de multis aliis arboribus supra enumeratis [5].

E. De quinto genere in § 44 indicato.

§ 65. Quatuor igitur hisce generibus pertractatis iamiam ad cetera superstitionum priscarum vestigia transeamus. Quod ad saxa attinet, ea quae *λίθος Ὕβρεως* et *λίθος Ἀναιδείας* vocabantur, in quibus in Areopago accusator et reus stabant [6], et illud, iuxta quod *θεσμοθέται* in foro Atheniensi iurare solebant [7], temporibus priscis deorum sive animorum quorundam sedes habitae fuisse mihi videntur; verus quidem sancticatis sensus oblivione oppressus erat, veneratio cessaverat, sed tamen ea divini quid retinuisse ex ipsis illis caerimoniis apparebat.

---

1) Cl. Al. Strom. VII 4, 26; vide Lib. II § 2.
2) Theophr. Hist. Plant. IV 13, 2, vide Lib. II § 125.
3) Paus. VIII 23, 4, vide Lib. II § 126.
4) Paus. II 31, 8, vide Lib. II § 136.
5) Vide Lib. II §§ 125- 142.
6) Paus. I 28, 5, vide Lib. II § 70.
7) Plut. Solon 25, Poll. VIII, 9, 86, vide Lib. II § 71.

§ 66. Arborum quoque cultus aliae reliquiae animadverti possunt, et quidem haece:

[1]. Athenis, *'Αθηνᾶς Πολιάδος* aede, palma ahenea stabat [1]), et Metaponti, in foro augurum, laurus ahenea vocem edebat [2]); quas ad arborum cultum pertinere nemo, opinor, negaverit.

§ 67. [2]. Simulacra nonnulla deorum arborum venerationem variis modis redolebant. Corinthi *Διονύσου Λυσίου* et *Βακχείου* signa confecta erant e ligno arboris illius, quam Pentheus conscenderat, ut Bacchas specularetur, quamque Pythia eos iusserat *„ἴσα τῷ θεῷ σέβειν"* [3]). Orchomeni, in urbe Arcadiae, *'Αρτέμιδος Κεδρεάτιδος* simulacrum in cedro positum erat [4]). Athenis *'Ερμοῦ* signum ligneum, a Cecrope dedicatum, ramis myrteis prorsus contectum erat [5]); Phigaliae *Διονύσου 'Ακρατοφόρου* simulacri pars inferior foliis laureis atque hederaceis coopertum erat [6]). Leuctris *Διὸς 'Ιθωμάτα* signum in luco repertum esse narrabatur [7]). De quibus omnibus, ceterisque eiusmodi exemplis vide supra Lib. II §§ 145—156, ubi scriptorum verba de iis agentia descripsi.

§ 68. [3]. Compluria deorum cognomina veterem arborum venerationem significabant. Nemo enim dubitaverit, quin *Διόνυσος* et *Ζεὺς "Ενδενδρος, Διόνυσος Δενδρίτης,* multique alii dii supra [8]) enumerati, in arboribus sedem habuissent. Anthropomorphismus tales cogitandi rationes oppresserat,

---

1) Paus. I 26, 7, vide Lib. II § 143.
2) Athen. XIII 83, vide Lib. II § 144.
3) Paus. II 2, 6, vide Lib. II § 116.
4) Paus. VIII 13, 2, vide Lib. II § 146.
5) Paus. I 27, 1, vide Lib. II § 148.
6) Paus. VIII 39, 6, vide Lib. II § 147.
7) Paus. III 26, 6, vide Lib. II § 149.
8) Lib II. § 214.

sed deorum prorsus humanorum cognomina eas adhuc redolebant.

§ 69. [4]. Fabulae complures inter huiusce cultus vestigia numerandae videntur. Helena *Δενδρῖτις* a feminis Rhodiis ex arbore suspensa erat [1]). *Διόσκουροι* in quercu cava latentes a Lynceo conspecti esse narrabantur [2]), et in bello Messeniorum cum Lacedaemoniis in piro silvestri sedentes illos hosce fugientes persequi prohibuerant [3]). Philemon et Baucis in arbores mutati adorabantur: »et qui coluere coluntur" [4]). Myrrha arboris specie induta Adonin peperisse credebatur [5]). Attis sub pinu genitalia sibi desecuerat, quam ob rem diebus sollemnibus pinus in Cybeles templa inferebatur [6]), pinusque sacra in monte Ida colebatur, sub qua Cybeles saxum divinum iacebat [7]). Daphne a Terra in laurum mutata erat, ut *'Απόλλωνα* effugeret [8]). Quae omnia ad arborum cultum pertinere pro certo statui posse mihi videtur.

§ 70. Restat ut de animalium cultuum reliquiis ad quintum nostrum genus pertinentibus loquamur. In quibus venerationibus hae duae res bene inter se distinguendae sunt: animalia ipsa adorata, et dii in animalium speciem efficti; nam licet ex uno fonte emanasse videantur, priscisque temporibus animalia ipsa pro deorum sedibus vene-

---

1) Paus. III 19, 10; vide Lib. II § 119.
2) Pind. Nem. X 114, Schol. ad eundem locum; Apollod. Bibl. III 11, 2.
3) Paus. IV 16, 5.
4) Ov. Met. VIII 724.
5) Ov. Met. X 480 sqq.; Apollod. III 14, 4; Serv. ad Virg. Aen. V 72. Cf. nummos Myrae et Aphrodisiae, Lib. II §§ 166 et 195.
6) Arnob. V 16, 21; Serv. Aen. IX 85 et 116; Iul. Firmic., de error. prof. rel. 27; Luctat. Stat. Theb. X 172; Diod. Sic III 59.
7) Claud. Rapt. Pros. I 201.
8) Ov. Met. I 548 sqq.

rationi fuissent, postea tamen aut ad deos quodammodo pertinere credebantur, aut eorum signa in deorum templis stabant, deos ipsos repraesentantes, velut taurus Cyzici pro *Διονύσῳ* adoratus [1]); quae simulacra quoque veram vim saepissime amittebant, ita quidem, ut ideo tantum dedicata esse putarentur, quia animal, quod repraesentarent, de deo sive dea, in cuius templo starent, quodam modo bene meritum esset. Ita lupus aheneus in *Ἀπόλλωνος* Delphici aede conspiciebatur, quia lupus res aureas e templo surreptas indicasset, furemque necasset [2]); ovis eiusmodi ob causam in *Ἥρας Σαμίας* templo stabat [3]).

Alia simulacra, non in deorum fanis collocata, ne ad deos pertinere quidem amplius existimabantur, sed alias ob causas veneratione dignari credebantur; velut capra illa ahenea, quam Phliasii adorabant, ne astrum cui nomen Capra vitibus noceret [4]), et asinus ille, qui Naupliae incolas sarmenta putare docuerat [5]).

§ 71. Quod ad animalia ipsa attinet, eorum cultus posterioribus temporibus non prorsus exstinctus erat, sed eo modo anthropomorphismo subiectus, ut animalia sacra in deorum templis nutrirentur. Ut enim pleraque fana sive heroa arboribus sacris circumdata erant [6]), ita multis in templis sive circa templa animalia sancta diisque dedicata nutriebantur [7]); nonnumquam fatidica habebantur, et dei, in cuius templo versabantur, benevolentiam sive iram eo indicare putabantur, quod ciborum sibi porrectorum magis minusve

---

[1]) Vide Lib. II § 255.
[2]) Paus. X 14, 7, Lib. II § 256.
[3]) Ael. Nat. Anim. XII 40, vide Lib. II § 257.
[4]) Paus. II 13, 6, vide Lib. II § 261.
[5]) Paus. II 38, 3, vide Lib. II § 262.
[6]) Vide Lib. II §§ 128—134, 207—211.
[7]) Vide Lib. II §§ 248—254.

avida essent [1]). In Ἀσκληπιοῦ fanis serpentes, in Ἥρας Σαμίας templo pavones, in Ἀπόλλωνος Σμινθίου aede mures sacri versabantur etc.

§ 72. Cetera animalium cultuum vestigia, leviora quidem, sed tamen digna quae commemorentur, haec sunt:

1) Dii nonnumquam ligno sive marmore sive alia materia ita efficti erant, ut animal quoddam eorum manibus sive humeris insideret, aut iuxta eos conspiceretur; quod animal cum iis quam artissime cohaeruisse, quin etiam priscis temporibus eos repraesentasse mihi veri simile videtur. Praeter Δία Ἀετοφόρον Ἑρμῆς Κριοφόρος huc afferendus est; Pausanias narrat, sese Tanagrae [2]), Oechaliae [3]), Olympiae [4]) Ἑρμοῦ arietem gestantis simulacrum vidisse; Corinthi [5]) aries iuxta eundem deum stabat. Nec non Ἀθηνᾶς signum commemoratum velim, in arce Corones, urbis Messeniae, collocatum, quod cornicem manu tenebat; cornix aerea sub terra reperta esse narrabatur, cum moenium fundamenta iacerentur [6]); neque Ἥρας simulacrum, a Pausania in monte Euboea ad Mycenas conspectum, cuius sceptro cuculus insidebat, hoc loco omittendum videtur [7]).

§ 73. 2) Sacerdotum nonnullorum nomina animalium cultum redolentia supra iam commemoravimus [8]).

§ 74. 3) Iamiam ad deorum cognomina, ad animalia pertinentia, transeamus; nam ut plantarum, ita animalium

---

1) Vide Lib. II §§ 238, 240, 241, 252.
2) Paus. IX 22, 1.
3) Paus. IV 33, 4.
4) Paus. V 27, 8.
5) Paus. II 3, 4.
6) Paus. IV 34, 5 sq., vide Lib. II § 268.
7) Paus. II 17, 4.
8) Vide supra Lib III §§ 12—17.

quoque cultus, ceteroquin oblivione oppressi, deorum cognominibus significabantur. Sunt quidem, qui *Ἥραν Ἱππίαν, Ἀθηνᾶν Ἱππίαν* etc. ideo tantum ita vocatas esse perhibeant, quia equi in dearum illarum tutela essent; sed id ipsum quoque mea quidem sententia inter animalium venerationis reliquias habendum est. Populi enim nonnulli inculti certam quandam animalium speciem ita adorant, ut deum in singulo quoque huius speciei animali habitare existiment (velut Polynesii [1]); alii omnes animalium species fratrem habere maiorem natu putant, magnum atque potentem, sive archetypum in animarum regno versans (velut Indiani in America septentrionali habitantes [2]).

Deus igitur, ipse animal, fratrum suorum tutela habetur; quae superstitio fortasse apud Graecos priscos quoque viguit, postea quidem ita mutata, ut munera illa a diis supremis suscepta sint. Utut est, omnia ea cognomina, quae supra [3]) enumeravi, inter animalium cultus vestigia commemoranda mihi videntur.

§ 75. Sunt autem quae a viris doctis nonnullis[4]) prorsus alio modo explicentur; velut *Λύκαιος* sive *Λύκειος*,, quae vox a radice luc derivanda censetur. Veteres ipsi eam ad lupos pertinere credebant, neque iniuria, opinor, nam e fabulis apparet, lupos cum in *Διὸς Λυκαίου*, tum in *Ἀπόλλωνος Λυκείου* cultibus magnas partes egisse. Lycaon in lupum mutatus

---

¹) Turner, Polynesia p. 242; Tylor, Prim. Cult. II³ p. 243.

²) Tylor, ibidem p. 244. Vide Lib. I § 13.

³) Lib. II § 272.

⁴) Müller Dorier II 304; Welcker G. G. I 473. Vide Preller—Robert G. M. I⁴ p. 253; Immerwahr, Arkad. Kulte pp. 16 sqq.; Usener, Götternamen pp. 198—216; ibidem p. 216: „Als der sprachliche Zusammenhang gelöst war, der das Verständniss der Wortbedeutung aufrecht hielt, begann die Volksetymologie ihr loses Spiel und machte den Gott *Λύκος* zum Wolf, *λύκος*."

esse narrabatur, quia infantem in *Διὸς Λυκαίου* ara mactavisset [1]); postea semper aliquis in lupum transformabatur, cum eidem deo sacrificabatur: *ὡς ἄρα ὁ γευσάμενος τοῦ ἀνθρωπίνου σπλάγχνου ἐν ἄλλοις ἄλλων ἱερείων ἑνὸς ἐγκατατετμημένου, ἀνάγκη δὴ τούτῳ λύκῳ γενέσθαι* [2]). Neque minus arte lupus cum *'Απόλλωνος* cultu cohaerebat: *Λητὼ* lupae specie peperisse narrabant [3]); lupus res aureas e templo Delphico surreptas indicaverat furemque necaverat [4]); lupus aheneus in eadem aede collocatus erat [5]); Argis *'Απόλλων* lupum in boum gregem immiserat."

§ 76. Ut de hisce cognominibus, ita de voce *Κυννείῳ* quoque virorum doctorum sententiae inter se discrepant. Welcker enim *'Απόλλωνα Κύννειον* Sirium esse opinatur [6]); Robert [7]) eum canum tutelam habet; Töpffer [8]) vocem *Κύννειον* minime a radice *κυν-* derivandam censet, sed a *Κύννῃ*, heroe Attico, *'Απόλλωνος* filio [9]), *Κυννιδῶν* progenitore [10]). E quibus Robertio assentior, ita quidem, ut priscis temporibus canum venerationem in Attica viguisse putem [11]).

§ 77. Dignum est quod observetur, postea saepius e deo,

---

1) Paus. VIII 2, 3.

2) Plat. Rep. 565 d; Polyb. VIII 13, 7; Isid. Etym. VIII 9 p. 370; Paus. VIII 2, 6, VI 8, 2; Varro apud August. Civ. Dei XVIII 17; Plin. VIII 34. Vide Immerwahr, Ark. Kulte pp. 10 sqq.

3) Aristot. Hist. Anim. VI 35 p. 580 A; Schol. Apoll. Rhod. II 124; Antig. Caryst. Mirab. 61; Ael. N. A. X 26; Plut. Qu. Nat. 38; Et. M. 680, 21 s. v. *Πολιοὶ λύκοι*.

4) Paus. X 14; Ael. N. A X 26.

5) Paus. l.l.; Ael. l.l.

6) Paus. II 19, 4.

7) Welcker G. G. I 464; 474.

8) Preller—Robert, G. M I 248, 2; 272, 1.

9) Töppfer, Att. Genealogie 303.

10) Phot. s. v. *Κύννειος*.

11) Bekker An. I 274.

12) Vide supra Lib. III § 24.

qui ipse animal, et deinde animalium tutela fuisset, eorundem animalium interemptorem factum esse. *Ἀπόλλων Λυκοκτόνος* a poetis nonnullis nuncupabatur [1]. Sicyone *Ἀπόλλων Λύκιος* lupos greges trucidantes necasse narrabatur [2]) Serviùs [3]) »Apollinem", inquit, »Lycium appellari dicunt.... de Lyco quem vicit.... sive quod pastoralis deus lupos interemerit."

Ἄρτεμις, Elide *Ἐλαφιαία* [4]), Olympiae *Ἐλαφία* [5]) vocata, saepissime *Ἐλαφηβόλος* [6]) nuncupabatur; priscis temporibus ipsa cerva, postea cervos venari credebatur. *Διονύσῳ,* ipsi capro, Potniis *Αἰγοβόλος* cognomen erat [7]), et capra ei immolari solebat [8]); *Ἑκάτη κυνοσφαγής* nominabatur [9]), licet ipsa canis fuisset [10]).

§ 78. Aliis quoque modis ratio, quae inter animalia et deos intercedebat, mutabatur; velut *Ἄρτεμις Ταυρώ* [11]), *ταυρωπός* [12]), *ταυρεόμορφος* [13]), quam, olim taurum, post *Ταυροπόλον* [14]) sive *Ταυροπόλαν* vocabant, atque tauro vectam effingebant [15]).

---

[1]) Soph. El. 6; cf. Hesych. s. v. *Λυκοκτόνος* et *Λυκοκτόνου θεοῦ: „οὐ καλῶς· ἔστι γὰρ ὁ λύκος ἱερὸν Ἀπόλλωνος."*

[2]) Paus. II 9, 7.

[3]) Serv. Aen. IV 377.

[4]) Paus. VI 22, 10.

[5]) Strab. VIII 528.

[6]) Hom. Hymn. in Dian. 2, Soph. Trach. 214 etc.

[7]) Paus IX 8, 2.

[8]) Paus. l. l.

[9]) Tzetz. in Lycoph. 77.

[10]) Vide Lib. II § 267.

[11]) Hesych. s. v. *Ταυρώ.*

[12]) Suid. s. v. *Ταυρωπός.*

[13]) Hymn. Mag. in Dian. 23 Wessely.

[14]) Vide Bruchmann, Epitheta Deorum 50, Et. M. s. v. *Ταυροπόλον,* Hesych. s. v. *Ταυροπόλια* etc.; cf. Lib. II § 272.

[15]) Cf. nummos Amphipolitanos, Lib. II § 272.

Nonnulli dii ipso adhuc animalis nomine nuncupabantur, ut *Ταῦρος*[1], *Διόνυσος Ἔριφος*[2], *Ἀπόλλων Κόρυδος*[3]; plerisque autem adiectiva ab animalium nominibus derivata pro cognominibus erant, velut *Ἵππιος*, *Ἐλαφία*, *Λύκειος*, *Κάρνειος*, *Δελφίνιος*, *Κύννειος*, *Ταύρειος*[4]. Sunt quoque qui a hostiis sibi immolatis nominati sint, velut *Ἥρα Αἰγοφάγος*, *Ἄρτεμις Καπροφάγος*, *Διόνυσος Ταυροφάγος*, *Κριοφάγος*; de quibus supra iam locuti sumus[5].

§ 79. 4) Heroum nomina compluria animalium cultum redolere mihi videntur. Athenis *Λύκος* heros, Pandionis filius, in lupi speciem effictus apud tribunalia stabat[6]. Alius *Λύκος*,, heros Thebanus, Thebarum rex fuisse narrabatur[7]; tertius *Λύκος* a Cycno interemptus erat[8]; quartus *Λύκος Ποσειδῶνος* et *Κελαινοῦς* filius erat[9]; quintus *Λύκος* inter Argonautas commemoratur[10]. *Κριός* heros Atheniensis[11], vates Lacedaemonius[12], Euboeae princeps[13] fuerunt. *Κόραξ* Arethusae filius fuit, de quo Ithacae saxum quoddam *Κόρακος πέτρη* vocabatur[14]; alter *Κόραξ Κορώνου* filius, *Ἀπόλλωνος* nepos, rex Sicyonius fuisse traditur[15].

---

1) Hesych. s. v. *Ταῦρος*; C. I. G. 1605; Plut. Qu. Gr. 36.
2) Hesych. s. v. *Εἰραφιώτης* et *Ἔριφος*.
3) Paus. IV 34, 7.
4) Vide Lib. II § 272.
5) Vide supra Lib. III § 19.
6) Vide Lib. II § 260.
7) Paus. II 6, 2; IX 5, 5; IX 16, 7.
8) Paus. I 27 6.
9) Apollod. III 10, 1.
10) Apollod. I 9, 23: Apoll. Rhod. 139.
11) Schol. Ar. Av. 645.
12) Paus. III 13, 4.
13) Paus. X 6, 6.
14) Hom. Od. XIII 407, Schol. ad eundem locum.
15) Paus. II 5, 8.

Κόρωνος nomen et Caenei filio, Lapitharum regi [1]), et *'Απόλλωνος* filio, Sicyoniorum regi [2]) et Anaxiroes patri [3]), et Thersandri filio [4]) erat. *Καπροῦ σῆμα*, a Pausania commemoratum, ad *Καπρὸν* quendam heroem Messenium pertinere veri simile mihi videtur [5]). Permulta alia eiusmodi heroum nomina afferri possunt, velut *Κύκνος, Ἄρεως* filius [6]), alterque *Κύκνος, Ποσειδῶνος* filius [7]), *Φῶκος*, Aeaci filius [8]), *Κήϋξ, 'Αλκυόνη, Πρόκνη, Φιλομήλα* etc., quae animalium illorum sanctitatem significant.

§ 80. 5). Non aliter de deorum et heroum transformationibus iudicandum censeo: ubicumque eiusmodi fabulae ortae sint, priscis temporibus animalia ipsa, in quae dii sive heroes mutati esse narrarentur, venerationi fuisse existimo; in animalibus illis sedem habuisse, simulque ipsi iisdem formis induti fuisse mihi videntur. Ita in Creta *Διὸς* venerationem cum taurorum cultu veterrimo ea ratione conflatam esse coniicio, ut *Ζεὺς* in omnibus tauris sedem habere, et ipse tauri specie esse crederetur; postea, cum prisca superstitio anthropomorphismo cessisset, *Δία* tauri forma indutum Europam in Cretam transvexisse narrabant. In Arcadia *Δημήτηρ* sese in equam mutaverat [9]); simulacrum Phigalense indicat, hanc deam re vera in Arcadia formam equinam habuisse [10]). Nummi Arcadici ubique in ea regione

1) Hom. B 746.
2) Paus. II 5, 8.
3) Paus. V 1, 6.
4) Paus. IX 34, 7.
5) Paus IV 15, 7.
6) Hes. Scut. 57, 413; Eur. Herc. Fur. 386.
7) Pind. Ol. II 82.
8) Hes. Th. 1094.
9) Vide Lib. II § 263.
10) Vide Lib. II l. l.

equos venerationi fuisse ostendunt [1]; ibidem *Ῥέαν* pullum equinum pro *Ποσειδῶνι* infante *Κρόνῳ* dedisse [2], eundemque deum postea speciem equinam induisse credebant [3].

Fabulae igitur de transformationibus deorum et heroum inter animalium cultus vestigia habendae videntur.

CAPUT VII.

Cur superstitiones priscae posterioribus temporibus reviruerint.

§ 81. E superstitionum priscarum reliquiis in superioribus pertractatis apparet, anthropomorphismum eas magis magisque subegisse; sed tamen numquam toto imperio potitus est; nam, ut universe humiliores religionis formae lentiorem vivacitatem habent, quia multo minus sunt mutabiles quam sublimiores, quae ad altiorem gradum sese extollunt, ita in Graecia quoque lapidum stipitum arborum animalium cultus numquam prorsus evanuerunt; usque enim ad postrema antiquitatis tempora eorum vestigia, hic manifestiora, illic leviora, remansisse scriptores atque monumenta nos docent; et etiam multo post eiusmodi venerationum reliquiae remanserunt.

§ 82. Dignum autem est quod observetur, vestigia illa paene omnia apud scriptores inveniri, qui post Christum natum vixerint, et in monumentis illius temporis, quod »hellenisticum" vocatur; Pompeianae enim picturae parie-

---

1) Vide Lib. II § 264.
2) Paus. VIII 8, 2, vide Lib. II § 272, 3.
3) Paus. VIII 25, 4, vide Lib. II § 263.

tinae et nummi imperatorum Romanorum huiuscemodi res frequentissime oculis nostris praebent, vascula contra et anaglypha temporum antiquiorum paene omnem depicta et exsculpta ea reperiendi spem fallunt et silentium, ut ita dicam, fastidiosum obtinent. Nonnumquam Apollinis tripodem sub lauro stantem in aliqua pictura vasculari conspicimus, aut palum, qui Dionysi simulacri vice fungitur, persona et vestibus ornatum, sed numquam superstitiones veteres ipsas vasculorum pictores aut anaglyphorum sculptores arte sua dignas iudicasse videntur.

§ 83. E scriptoribus Xenophon primus eas memorat [1]), deinde Theophrastus [2]); ceteri omnes, qui de iis loquuntur, post Christum natum vixerunt. Cur, quaeso, cultus illi a posterioribus artificibus atque scriptoribus depicti et memoriae traditi sunt, a superioribus contra paene prorsus silentio premuntur? Scriptores quidem ecclesiastici saepe, e fontibus antiquis hodie perditis haurientes, de superstitionibus talibus tamquam de praeteritis loquuntur [3]), sed nonnumquam etiam in aequales suos Graecos easdem ob causas invehuntur [4]). Pausanias, qui re vera ipse ea, quae describit, vidisse neque, ut nonnulli perhibuerunt, omnia domi sedens e Polemonis aliorumque scriptis excerpsisse videtur, multa cultuum priscorum exempla commemorat. Dicat quispiam, scriptores ecclesiasticos ideo tantum superstitiones illas memoriae prodidisse, ut paganis irriderent eosque impugnarent, Pausaniamque, *περιηγητῶν* more,

---

[1]) Xenoph. Memor. I 1, 14.

[2]) Theophr. Char. 16.

[3]) Cf. Clem. Alex. Strom. I 25, 164, Protr. IV 46, II 40; Arnob. Adv. Gentes VI 11. Vide Lib. II § 2.

[4]) Clem. Alex. Strom. VII 1, 4; VII 4, 26; Protr. II 40. Vide Lib. II § 2.

rerum memorabilium tam cupidum fuisse, ut omnes eas venerationes obscuras in lumen proferre prae ceteris studeret. Quod partim explicare concedo, cur apud eos scriptores saepius de cultibus priscis mentio fiat quam in scriptis vere antiquis; sed tamen altum horum silentium admirationem movet.

§ 84. Quod ad artifices posteriores attinet, non video cur ii superioribus ad lapidum arborumque adorationem depingendam propensiores futuri fuerint, nisi certa quaedam huiusce rei causa exstitisset. Neque fortasse difficile est, causam illam indagare, nam, si rectum video, eam in promptu habemus: non enim in superstitionum priscarum ipsarum, sed in anthropomorphismi historia latere videtur.

§ 85. Nusquam anthropomorphismus perfectius excultus est quam apud Graecos; populi orientales deos hominibus prorsus assimilare semper veriti sunt, neque Graeci ipsi quoque nisi pedetemptim hancce verecundiam abiecerunt. *Ἀφροδίτη*, antiquitus divinae maiestatis plena, postea nihil erat nisi femina pulchra quidem, sed frivola planeque humana; omni sublimitate carens, pulchritudinem suam lascive oculis prodebat. *Ἀπόλλων,* antiquitus adolescens vere divinus, splendidus atque quasi luce circumdatus, postea omni divinitate privatus cum lacerta ludens a summo illius aetatis artifice marmore sive aere effictus est. Ita anthropomorphismus magis magisque ad ultimos fines suos decurrit, et deos vel ad satis humilem conditionem humanam relegavit. Nonne fieri potuit, ut superstitiones priscae, numquam plane exstinctae, ex eo ipso novas vires acciperent quod adversarius ut ita dicam in dies magis labefactaretur? Quo enim tempore, deorum cultus auctoritate imminuta, variae cuiuscumque generis superstitiones per totum imperium Romanum per-

vagatae sint, venerationes quoque veteres nonnihil revixisse verisimile est. Graeci quidem eruditi, quavis religione abiecta, simulacra ob pulchritudinem tantum admirabantur, plebs contra rudis, superstitiosa semper atque venerandi cupida, diis magnis in humilitatem delapsis, magis magisque ad veteres lapidum stipitum arborum cultus rediisse videtur; quos sane numquam prorsus reliquerat, quibusque homines tanta vi vinciebantur, ut Christianorum ecclesia per multa saecula eos exstirpare frustra conaretur[1]); neque mirum, nam usque ad nostram aetatem ubique vel in Europa[2]) eiusmodi superstitionum vestigia reperiuntur, Christiana quidem religione quodammodo transformata, sed tamen veteres cultus adhuc redolentia; tam proni sunt homines rudes ad humiliora, sublimioribus rebus male intellectis atque conspretis, neque praescriptum illud pervetustum servare solent:

»Religentem esse oportet, religiosus ne fuas" [3]).

---

[1]) Cf. Cod. Theodos. 18, 10, 12; Augustin. de Temp. Sermon. CCXLI; Concil. Carth. V 15, Arelat. II, Autissiod. III. Vide Bötticher, Baumkultus cap. XL § 7; Lubbock. Orig. of Civ. p. 299; Dulaure, Histoire Abrégé des Cultes I p. 304; Grimm, Deutsche Mythologie II p. 541.

[2]) Cf. Hartland, The legend of Perseus I pp. 175, 201; II pp. 183 sqq.

[3]) Gell. IV 9, 1.

THESES.

THESES.

I.

Quaevis religio animismo tamquam fundamento nititur.

II.

Symbolismus a mente prorsus inculta abhorret.

III.

Totemismus cum mortuorum cultu cohaerere videtur.

IV.

Licet Spencer erret, quamvis religionem e mortuorum cultu originem traxisse perhibens, partes tamen gravissimas in plerisque cultibus egit haec superstitio.

V.

In superstitionum priscarum origine atque indole indagandis haec sententia quam maxime valet: »e comparando lux."

VI.

Omnia quae dii in mythis agere narrantur e natura explicare absurdum est.

VII.

Dii supremi gradu tantum et ordine, non origine atque indole a daemonibus inferioribus differunt.

VIII.

Non omnes stipites sacri cultum suum ab arboribus mutuati sunt neque priscis temporibus neque apud populos incultos hodiernos.

IX.

Hermae et stipites capitati transitum formant a fetissismo ad idololatriam.

X.

Idola apud veteres pro deorum sedibus fuerunt.

XI.

Tempore Mycenaeo certo certius idololatria viguit.

XII.

Quo tempore deorum anthropomorphicorum maiestas diminuebatur superstitiones priscae in Graecia reviruerunt.

XIII.

Lapides uncti a Theophrasto (Charact. 16) commemorati non cum hermaeis confundendi sunt.

XIV.

Vox *βαίτυλος* neque ad saxum a Krono devoratum Delphisque adoratum neque ad cetera Graecorum saxa sacra, sed tantum ad lapides sacros Syriacos pertinet.

XV.

Obeliscus, qui Athenis alibique in Graecia ante ianuas stabat, simul *Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως* sedes atque ara fuisse videtur.

XVI.

In nummis Pergaeis neque, ut Head (H. N. p. 585) perhibet, saxum sine capite humano, neque, ut Reichel (Ueber Vorhellenische Götterculte p. 28) putat, solium divinum, sed saxum capitatum expressum est.

XVII.

E variis modis, quibus in vasculis Atticis pugnam inter Ἡρακλέα et leonem expressam conspicimus, is est antiquissimus, qui ambo stantes exhibet, Ἡρακλέα gladium tenentem, leonem cruribus posterioribus insistentem; deinde gladius disparuit et schema erectum a palaestris mutuati sunt artifices; denique ambo proni humi iacent, aliud schema palaestricum sequentes.

XVIII.

Quamvis in pugnis mythicis, in vasculis Atticis expressis, saepissime schemata palaestrica agnoscere liceat, eo schemate usitatissimo, quod κριός vocant (quia pugnantes capitibus pronis tamquam arietes trudere solent) admodum raro (vide vasculum nigris figuris ornatum Pelei et Atalantes pugnam exhibens, Gerhard A. V. III 177) in pugnis mythicis depingendis usi sunt pictores.

XIX.

Krause (Gymnastik und Agonistik der Hellenen I 417, fig. 39) errat, vocem ἀνατρέπειν ad id schema palaestricum pertinere existimans, quo alter alterius crus sublevat (quod τῷ ὑποσκελίζειν cognatum videtur); ἀνατρέπειν enim est adversarii totum corpus sublevare atque ita subvertere, ut caput humum paene attingat cruraque sursum pendeant, quod in picturis nonnullis Atticis expressum videmus (Krause fig. 35b 1).

XX.

Διὸς simulacrum in Museo Antiquario Leidensi (n⁰ I 59) aetati Hellenisticae attribuendum est, licet artifex schema Polycletianum secutus sit.

XXI.

Optimo iure Niese (in Herme 1888 pp. 410—423) dicit fieri non potuisse ut Stolonis lex agraria: »ne quis plus quingenta iugera agri possideret" iam anno 367 ferretur.

XXII.

Mommsen (Röm. Forschungen II 160 sqq.) recte rogationem Cassiam agrariam fictam esse perhibet.

XXIII.

Schol. Lucian. de Saltat. 38:

λέγουσιν ἐν Δελφοῖς ὀμφαλὸν εἶναι ἐπὶ τοῦ ἐδάφους τοῦ νεὼ καὶ περὶ αὐτὸν αἰετὸν γεγράφθαι ἀπὸ συνθέσεως λίθων, καὶ τοῦτο ἔφασκον τὸ μέσον ἁπάσης τῆς γῆς.

Pro voce „*αἰετὸν*" legendum est „*ἀετὼ*" sive „*ἀετοὺς*".

XXIV.

Paus. III 20, 9:

κίονες δὲ ἑπτὰ οἳ τοῦ μνήματος τούτου διέχουσιν οὐ πολύ, κατὰ τρόπον οἶμαι τὸν ἀρχαῖον, οὓς ἀστέρων τῶν πλανητῶν φασιν ἀγάλματα.

Schubart minus recte post vocem *πολὺ* indicavit lacunam; ante vocem *οἳ* vox *εἰσιν* inserenda est.

XXV.

Paus. IV 12, 4:

ἔτεσι δὲ ὕστερον οὐ πολλοῖς ἀναφαίνειν τε καὶ ἐς τέλος ἄξειν ἔμελλεν ὁ θεός.

Pro voce *ἀναφαίνειν* legendum *ἀναφανεῖν.*

XXVI.

Paus. II 28, 1:

Δράκοντες δὲ οἱ λοιποὶ καὶ ἕτερον γένος ἐς τὸ ξανθότερον ῥέπον τῆς χρόας ἱεροὶ μὲν τοῦ Ἀσκληπιοῦ νομίζονται.

Pro voce „*λοιποί*" legendum *πολιοί* vel alia vox *colorem* indicans.

XXVII.

Paus. VI 18, 3:

κακῶν ἠπείλει τὰ μέγιστα ἐργάσασθαι.

Pro voce *ἐργάσασθαι* legendum est *ἐργάσεσθαι.*

Ibidem in fine:

ἦ μὴν αὐτοῦ ταῖς δεήσεσιν ὁπόσα ἐστὶν ἐναντία ἐργάσασθαι.

Pro voce *ἐργάσασθαι* legendum est *ἐργάσεσθαι.*

XXVIII.

Thucyd. I 129, 3:

ὁ δ'ἀφικόμενος τά τε ἄλλα ἐποίησεν ὥσπερ εἴρητο καὶ τὴν ἐπιστολὴν διέπεμψεν· ἀντεγέγραπτο δὲ τάδε.

Vocem *ἀντεγέγραπτο* in *ἀντενεγέγραπτο* mutare non opus est.

XXIX.

Thucyd. I 130, 2:

καὶ τῇ ὀργῇ οὕτω χαλεπῇ ἐχρῆτο ἐς πάντας ὁμοίως ὥστε μηδένα δύνασθαι προσιέναι.

Neque Herwerdenus, qui dubitat an *ἐς* in *πρὸς* mutandum sit, neque Krüger, qui vocem *δύνασθαι* delet, sequendi sunt; textus traditus retinendus est.

XXX.

Thucyd. I 132, 2:

ὑποψίας δὲ πολλὰς παρεῖχε τῇ τε παρανομίᾳ καὶ ζηλώσει τῶν βαρβάρων μὴ ἴσος βούλεσθαι εἶναι τοῖς παροῦσι τά τε ἄλλα αὐτοῦ ἀνεσκόπουν εἴ τί που ἐξεδεδιῄτητο τῶν καθεστώτων νομίμων καὶ ὅτι ἐπὶ τὸν τρίποδά ποτε τὸν ἐν Δελφοῖς κ. τ. λ.

Vox *καὶ* potius post vocem *παροῦσι* quam post vocem *εἶναι* (quod Herwerdenus coniecit) inserenda est.

XXXI.

Thucyd. I 132, 5:

ἢν ψευσθῇ τῆς δόξης ἢ καὶ ἐκεῖνός τι μεταγράψαι αἰτήσῃ.

Immerito Herwerdenus vocem *ἢ* delevit; immo ea carere non possumus.

XXXII.

Eur. Or. 1151:

ἑνὸς γὰρ οὐ σφαλέντες ἕξομεν κλέος,
καλῶς θανόντες ἢ καλῶς σεσωσμένοι.

Immerito Nauckius vocem *ἕνος* in *δυοῖν* mutat.

XXXIII.

Euripidis tragoedia cui nomen Electra multo inferior est Aeschyli et Sophoclis tragoediis de Orestis ultione agentibus; tragoediae dignitati imprimis detrimento est colonus Electrae maritus, quem introduxit Euripides.

XXXIV.

Tac. Germ. 13:
Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteri robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur.
Vox »dignatio" sensum explicativum habet; voce »princeps" non rex sed dux significatur.

XXXV.

Liv. XXI 11, 3:
Interim animos eorum nunc ira in hostes stimulando, nunc spe praemiorum accendit.
Delendae sunt voces »in hostes stimulando."

XXXVI.

Cic. Catil. I 1, 1:
Quid proxima, quid superiore nocte egeris.
Delendae sunt voces »quid superiore".

XXXVII.

Quintil. X 1, 77:

Plenior Aeschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est.

Pro »grandiori similis" legendum est »grandi similior."

XXXVIII.

Prop. IV 17, 31 (ed. Mueller), III 18, 31 (ed. Baehrens):

At tibi, nauta, pias hominum qui traiicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae:
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar, ab humana cessit in astra via.

Hosce versus sic legendos censeo:

At tu, nauta, pias hominum qui traiicis umbras,
Hoc animae portes corpus inane suae:
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar, ab humana cessit in astra via.

XXXIX.

Consol. ad Liviam 48 (Poetae Lat. Min. vol. I Baehrens):

Nec quemquam nervos extimuisse tuos.

Textus traditus retineatur, neque auctore Baehrensio »nervos" in »servos" mutetur.

XL.

Consol. ad Liviam 77:

Iste potest implere dolor vel saecula tota.

Textus traditus retineatur, neque auctore Baehrensio »fercula" legatur.

XLI.

Catull. X 25 sqq.:

»Quaeso", inquit, „mihi, mi Catulle, paulum
»Istos, commode enim volo ad Serapim
»Deferri." »minime", inquii puellae;
»Istud quod modo dixeram me habere.
»Fugit me ratio: meus sodalis
»Cinnast Gaius, is sibi paravit."

Muellerus non recte nonnulla post versum 27 excidisse putat; nam si auctore Statio vocem »minime" in »mane" mutamus, omnia optime currunt.

XLII.

Apul. Met. II 14:

Ibi corpus splendentibus linteis coopertum introductis quibusdam septem testibus manu revelat et diutine usu perfleto obtestata fidem praesentium singula demonstrat anxie.

Pro vocibus »diutine usu perfleto" legendum est: »diutino insuper fletu."

XLIII.

Gell. VI 3, 37:

Si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto.

Auctore Gronovio scribendum est:

Si quis illud facere voluerit, mille nummi, dimidium familiae multa esto.

XLIV.

Non recte Macleanius in Iuvenalis editione perhibet satiram primam non esse prooemium totius libri.

XLV.

Optime Boissierus ostendit Senecam non fuisse Christianum neque quicquam a religione Christiana mutuatum esse.

XLVI.

Improbanda est ratio eorum, qui linguam Graecam hodiernam quam maxime ad linguae antiquae exemplum exigere student.


89094607900
B89094607900A

